

2648.

. Rom. A
1210



Poet. lat. collect. 109 ⁶/₂

D. CHRISTIAN WILHELM TITMANN
COMPOSITOR
LITH. 1784

CHRISTOMANIA

1784

ENNYANNA

L. O. V. L.

I V S R O M A D V M

ILLUSTRATIONES

E. M. V. L. O.

NOTIS ALIIS



1784

ATV. J. H. W. W. W. W.

1784

D. CHRISTIANI WILHELMI KÜSTNERI

CONSIST. ET FACULT. IVRID. ASSESS. AC CIVIT.

LIPS. SYNDICI

CHRESTOMATHIA

I V R I S

ENNIANA

SEV

LOCI

I V S R O M A N V M

ILLVSTRANTES

EX

E N N I O

C V M

NOTIS ADIECTIS.



LIPSIAE,
APVD IOANNEM WENDLERVM.
1762.

D. CHRISTIANUS WILHELMUS KÄSTNER

CONSIST. ET FACULT. THEOL. UNIVERS. AC CIVIT.

LIBR. THEOL.

CHRISTIANUS WILHELMUS KÄSTNER

M. G. W. 2

D. G. E. N. T. I. A. M. T. H. E. O. L. O. G. I. C. A. M.

KÄSTNER

I. V. S. E. C. T. I. O. N. I. S. M. A. T. H. E. M. A. T. I. C. A. M.

REGIAE MAJESTATIS PRAESIDIUM

ET FACULT. THEOL. UNIVERS. AC CIVIT.


CIVIT. THEOL. UNIVERS. AC CIVIT.

WURDEN BEI DER UNIVERSITÄT

UND FACULTÄT THEOLOGICAE

UND FACULTÄT THEOLOGICAE

CONSIST.



D. CHRISTIANUS WILHELMUS KÄSTNER

LIBR. THEOL.

ABD. LOVINGEN WENDLERUM

1762

VIRO

ILLVSTRI, SVMME REVERENDO

ET

MAGNIFICO

D. GODOFR. WILHELMO

KVSTNERO

JCTO

REGIAE MAIESTATIS POLONICAE,
ET ELECTORIS SAXONIAE A REBUS BELLICIS,
ITEMQUE IN PROVOCATIONUM IVDICIO
CONSILIARIO INTIMO, CAPITVLI
WURZENSIS CANONICO ATQVE DECANO,
CVRIAE SVPREMAE ET SCABINATVS LIP-
SIENSIS ASSESSORI, CIVITATISQVE
CONSVLI

PARENTI OPTIMO,

D. D. D.

FILIVS

D. CHRISTIANVS WILH. KVSTNERVS.

VIRO

ILLVSTRI, SVMMME REVERENDO

ET

MAGNIFICO

D. CODOR. WILHELMO

MIRISTIRO

cepit animus noster, quodis placuit

REGLAE MALE STATIS BOLE AN

ET TECTORIS SAKONIAE A REBO BELI

CE TITLOS PANDANTIS REBO REBO

QO KAROL CRIDIT ES CIVITATIS

re in bacillitate contingere haec soler

extollendam duxi. Si enim considera-

mus, in tanto Doctorum in omnibus

disciplinis magis magis est, his

Magnum sane, et quod vix verbis
significari potest, gaudium per-
cepit animus noster, quoties praeuide-
bat diem III. Martii huius anni, quo an-
te ipsos quinquaginta annos summos in
vtroque iure honores adeptus eras.
Quo rarior enim in ea humanae natu-
rae imbecillitate contingere haec solet
felicitas, eo magis suspiciendam, atque
extollendam duxi. Si enim considera-
mus, in tanto Doctorum in omnibus
scientiis numero, qui Lipsiae est, his
a 3 nostris

nostris temporibus, praeter GUSTAVUM HENRICUM MYLIVM, anno 1607. Iuris Doctorem creatum, CHRISTIANVM IACOBVM SEYLERVM, artis salutaris anno 1609. Doctorem dictum, IOHANNEM CHRISTIANVM LOHSIVM, qui d. XVIII. Febr. 1612. Iuris Doctoris titulos adeptus, et TE, qui iis associaris, esse neminem, qui per dimidium seculum his honoribus sit ornatus, quin hoc ipsum iam esse miratu dignum, cum interdum vix vnus atque alter fuerit, qui hoc assecutus sit; habet profecto is, qui hoc consequitur honoris, de quo laetetur. Cum enim plerumque vltimus vitae nostrae terminus sit aetas septuaginta, vel octoginta annorum, neque facile

facile quis ante vigesimum annum Do-
ctoris codicillos impetret, non mirum,
quod pauci eo perueniant. Vti enim
in acie is, qui fufis, caesisque circum se
commilitonibus omnibus fere vnus su-
perest, merito triumphat, atque sibi
gratulatur, ita hi viri, vt ita dicam, se-
culares, qui in magna patronorum, col-
legarum, et amicorum, quam crudelis
intulit mors, clade, reliquos supera-
runt, gratiis Deo actis re ipsa iubilent.
Nouus enim, intra triginta, vel certe
quinquaginta annos, vti dicere soles,
mundus existit, nouamque res tum sa-
crae, tum publicae, tum priuatae fa-
ciem induunt. Quod TVO ipse exem-
plo satis expertus es; quippe qui ante
quinquaginta ipsos annos Iuris vtrius-

que Doctor creatus, cum inter eos, qui
ab origine Academiae fuerunt, quan-
tum scimus, esses ducentessimus nona-
gesimus quartus, atque ex illis, qui tum
viuerent, teque antecederent, haberes
triginta sex, ex his omnes praeter Gv-
STAVVM HENRICVM MYLIVM, Or-
dinis Iuridici Seniore, quem saluum
diu sospitemque seruat Numen, vitam
commutarunt non solum, sed etiam illi,
qui TEcum inaugurabantur; erant au-
tem praeter TE adhuc quinque; et ex
iis, qui TE postea in capessendis Iuris
honoribus, cum spe ascendendi in Col-
legium Iuridicorum, coniunctis, nume-
ro quinquaginta quatuor, sequebantur,
adhuc quatuor et viginti sunt mortui,
TE que viuum reliquerunt. Cumque
his

his honoribus quasi via muniretur ad
alios, et causas agere in superioribus
iudiciis parares, anno clolcccxiv. inter
aduocatos, qui in Curia Suprema Lipsi-
ensi patrocinantur, pariter ac anno se-
quenti in Consistorio, quod de rebus
sacris iudicat, vt in iure disceptantibus
adesses, admissus, ac deinde inter eos,
qui in priori iudicio iudicant, anno
clolcccxxvi. receptus, ex omnibus,
qui tunc in his Collegiis iudicando,
consulendo et scribendo aderant, prae-
ter laudatum MYLIVM omnes iam diu
vita functi sunt. Pari ratione anno
clolcccxv. in Senatum huius ciuitatis le-
ctus, cum locum trigesimum secundum
occupares, his, qui tunc TE anteibant, vi-
ta superior factus es non solum, vt iam ex

triennio, Princeps Senatus citare, sed
etiam ex iis septuaginta duobus, qui
postea ad hunc ordinem peruenerunt,
super quadraginta adhuc vnus TE
prius diem obierunt supremum. Et cum
transitum faceres in Illustre Scabino-
rum collegium, cum priori quodam-
modo coniunctum cl̄l̄cccxxiv. pro mo-
re vltimus, ab iis omnibus, qui TE
praesidebant, relictus, iam diu primus ei
interes. Quod TIBI etiam contigit in
summo, quo de prouocationibus certa-
tur Dresdae, iudicio, in quod anno
cl̄l̄cccxxvi. cooptatus, multis abhinc
annis secundum receptionis ordinem
primum tenes locum. Iam cum anno
cl̄l̄cccxxx. inter Canonicos, qui Wur-
zensi Capitulo praeficiuntur, sedem occu-
pares,

pares, nunc inter omnes Decani, et primas
ex ordine receptionis partes sortitus es.
Neque silentio praetereundum confor-
tium fatis antiquum Notariorum et
Confraternitatis, quod dicunt, ad quod
ex anno clxxxv. admissus iam ante ali-
quot annos Senioris nomen es adeptus.
Tandem in re priuata in familiae, quae
ex duobus fratribus, et quatuor sorori-
bus profectae aetatis constabat, coetu,
cum ERNESTO GOTTLIEBIO KÜST-
NERO, viro Senatorio et Aedilitio,
quem TV fraterno semper comple-
xus es, ego vero, ob respectum, vti
dicunt ICti, parentelae, fere patrio co-
lam amore, vni in familiae ornamen-
tum, et solatium nostrum estis supersti-
tes. Quin ex magno amicorum foda-
litio

litio ex veterrimis vix vnus atque alter
restat. Est igitur hoc fenum ineuita-
bile malum, quod, quo longius vivant,
eo magis lugeant. Nec esset fane, quo
se erigerent, nisi vitam agentes longae-
uam, novos ordines cogi, nouas fami-
lias oriri, nouas amicitias contrahi, vi-
derent, in quibus omnibus ob auctori-
tatem senectutis quasi regnent. Iam
locus quidem esset, quo in laudes
TVAS, quas assidua opera indefessoque
studio TBII conciliasti adeo, vt REGI-
BVS CLEMENTISSIMIS, eorum
Amicis, TVIS Praesidibus, Collegis
atque iunioribus semper fueris gratus,
atque, quod nomen genitalis TVVS
dies prae se fert, amatus, excurrerem,
nisi hoc TVAE, quam bene noui, mo-
destiae

destiae, meaeque coniunctioni debe-
rem, vt potius eas imitandas tacitus ad-
mirer, aliisque fatis iam cognitae extol-
lendas relinquerem. Vnice allabora-
turus in eo, vt in his secularibus TVIS
solenne institutam sacrificium, atque
thura accendam atque litem. Sit TIBI ille
dies secularis felix faustusque, sint TIBI
honores, quos non menstrua et annali,
vti in dissertatione inaugurali de cam-
biis probasti, sed longissima et quin-
quagenaria praescriptione, et auctori-
tate tenes, quasi noui, ac iis, omnium
longissimam et centenariam adice, ita,
vt immortale Numen eandem naturam,
et vigorem, quo tunc florebas, reddat,
diutissimumque conseruet. Tuere,
quaeso, quem inter seculares Doctores
occupasti, locum ad vltimum, quem hu-
manum genus consequi potest, termi-
num.

num. Et cum, quanta sit apud im-
mortalem Deum precum vis atque pote-
stas, probe scio, nunquam intermittam,
eum ardentissimis efflagitare precibus,
vt **TE, PATER OPTIME**, quem mul-
tis annis, et honoribus ornauit, diu sal-
uum, sospitem, atque incolumem cum
SVAVISSIMA MATRE praestet.
Qui enim hoc **TIBI** beneficii dedit, vt
septuagenario tertio anno constitutus
omnibus animi sensibus bene calleas,
nec oculi, qui in legendis scripturis ma-
le pictis, quas commentarii forenses
plerumque habent, perpetuo fere ver-
sati sint, vitri optici auxilio indigeant,
neque manus titubent, atque aures
bene audiant, **TVIS**que multis
muneribus adhuc cum laude prae-
esse possis, continuabit certe et has cor-
poris animique dotes quam diutissime,
vt

vt, cum voluntas TIBI nunquam ad
rem publicam TVIS consiliis saluberri-
mis adiuuandam, et Iurisprudentiam il-
lustrandam desit, nec animum vires defi-
ciant, quo in officiis TVIS omnibus,
quin etiam Consulari dignitate, per
dimidium seculum immoratus, sublatis
iam, quibus nunc premimur, calamitati-
bus et aerumnis in patriae nostrae decus
et ornamentum, familiaeque solatium

Serus in coelum redeas, diuque

Laetus intersis populo

Neue TE nostris vitiis iniquum

ocyor aura

Tollat!

Sit hoc iam HORATII verbis seculare
carmen, cum mihi canenti non arri-
deant Camoenae. Ceterum cum, vt
quondam Regi, cui pauperis aqua offe-
rebatur, ea ipsa non inuisa erat, ita in-
dulgebis, credo, si in his TVIS solenni-
bus

bus leuedense libelli munusculum, in
grati animi, et beneficiorum abs TE a
prima pueritia perceptorum tesseram,
gratulabundus porrigam, TVOque iu-
dicio atque censurae submittens. Est
enim ex re antiqua, et poeta veteri pe-
titum, quod non facile reiicies, cum
antiquos antiqua haud spernere, sed
plerumque nouis praeferre scimus.
Quin, si illud TIBI non prorsus displi-
ceat, hunc vnicum atque optimum di-
ligentiae nostrae fructum iudicabimus.
Ita vale, vige, atque cum meis amare
nos non desine. Scripsi Lipsiae ad
xviii. Febr. clolccclxii.

PRAEFA.



PRAEFATIO.

Solent ad vnum fere omnes, qui libris edendis praefantur, causas rationesque praepondere, quibus appulsi ad conscribendos libros accesserint. Neque sane immerito. Et ego quidem tantum abssum, vt eos reprehendam, vt potius eos lubenti sequar animo. Cum enim lectores plerumque vel in libri auctore, vel titulo, aut alia in re haereant, facile fieri potest, vt, antequam ipsum librum manibus terant, iam de eo iudicium, vel bonum

Küstneri Chrest. Enn. I.

b

vel

P R A E F A T I O.

vel malum pro animi sensu ferant. Quam ob rem nihil est melius rei que magis accomodatam, quam ut statim ab initio, quid, qualeque fuerit scribendi consilium, exponatur. Iam in hoc nostro qualicumque scripto quisque facile intelligit, nostram operam versatam fuisse in eo, ut, quid per elegantiores litteras adiuuari possit Iurisprudentia, commonstraremus. Actum sane agerem, remque decies dictam repeterem, si quem litterae, quemadmodum appellantur, et vere sunt, humanae usum Iuris scientiae afferrant, vellem multis explicare, cum inter omnes constet, IO SALOM. BRUQUELLIUM *in dissert. praelim. Historiae Iur. Romano-German. praemissa de linguarum, philosophiae, antiquitatum et historiarum studio cum iurisprudentia coniungendo*, hoc argumentum egregie tractasse, omnesque auctores, qui hac de re scripserunt, excitasse, ut nobis nihil superfit, quam

P R A E F A T I O,

quam ut vel tribus tantum verbis Io. GOTTL. HEINECCII *dissert. de utilitate studii antiquitatum in iurisprudencia, a) de artis criticae utilitate in iurisprudencia, deque boni critici officio, b) de utilitate litterarum orientalium in iurisprudencia, c) et de usu et praestantia numismatum in iurisprudencia d)* adiiiciam. Neque sane opus est commendatione rei nostris temporibus, quibus nuptiae inter Themidis et Musarum alumnos non solum concessae sunt, sed etiam laudi cedunt. Quid? quod etiam ii interdum, qui quanquam sint in his litteris plane hospites, tamen nec contemnere eas audent, ne hoc ipso, se earum ignaros esse, fateantur.

b 2

Iam

a) Praemissa IAC. PERIZON. *dissertat. et inter Opusc. min. p. 15.*

c) IO. SELDENI *operi de Synedr. et praef. iurid. Hebr. adiecta et loc. add. p. 200.*

b) CORN. v. BYNCKERSH. *Observat, praemissa, et Opusc. min. p. 27.*

d) Praef. loco adiecta NIC. HIER. GUNDLINGII *Exercit. academ. Tom. I.*

P R A E F A T I O.

Iam vero cum haec ipsa litterarum atque antiquitatum cognitio non e Grammaticorum regulis, et Antiquitatum Lexicis, in quibus plerumque res sine ordine atque iudicio corraduntur, petenda sit, sed potius ex ipsis optimorum Auctorum fontibus sit haurienda, nihil est sane antiquius atque prius, quam ut, lectione Auctorum, quos vocant, Classicorum instituta, quid bonum sit atque elegans, quid rectum atque commodum intelligas. Neque est, ut crebram hanc lectionem inculcem, tum, quod res sit inter omnes nota, tum quod viam nobis iam muniuit *Vir Celeberrimus* GEORG. HENR. AYRERUS, qui in his, quas laudamus, litteris pariter ac Iuris arte nemini facile cedit, Goettingensis Academiae Antecessor, quique nostrum nomen multis abhinc annis in clientelam suam recepit, cum in edenda ANT. SCHULTINGII *Iurisprudencia Ante-Iustiniana* praefando, quan-

P R A E F A T I O.

quantum lectio Classicorum Auctorum studio iuris inseruiat, doceret. Vti enim praescriptis Iuris peritorum elegantium auctoritatibus, quibus in primis GUIL. BUDAEI imaginem adhuc appendam, qui in doctissimis ad Pandectas annotationibus ne paginam dimittat, qua non auctoris classici locus vice plus simplici adductus sit, multas nos leges Romanas institutaque nescire affirmat, nisi hi Auctores nobis lucem accenderent; ita praeterea multa Ictorum veterum nomina plane interiissent, nisi eorum memoriam seruassent auctorum monumenta, quae ipsa non contemnenda ex illis fragmenta tanquam ex naufragio ad nostra tempora transtulerunt; et quid faciant illa ad explicandas Romanorum leges et formulas, tum aliorum, tum suo exemplo satis comprobant.

Verum enim vero, qui fit, ut hoc aliisque monitoribus Musarum Charitumque tem-

P R A E F A T I O.

plum nihilominus a multis iurium studiosis non frequentetur, cum illae sua insita natura atque dulcedine quemuis facile ad se alligant, atque capiant?

Quae cum apud me animo voluerem, et in causas huius rei inquirerem diligentius, has, nisi animus me egregie fallit, esse praecipuas, opinatus sum. Primo enim, quam parum proficiant multi Iuris nostri discipuli nunc in latinis litteris, adeo, ut vix recte legere atque dicere interdum possint, sciunt omnes, qui eorum opera utuntur, et quid illi praestent, cognoscendi potestatem habent. Hi igitur bonos Auctores legant, quid in illis eleganter dictum sit, quid in iure colendo utile intelligant! Multum absit, ut eos horum legendorum cupido tangat! Quos si ad legendos Auctores excitare vellemus, piaculum fane committeremus. At illos ipsos, qui satis sibi docti

vi-

P R A E F A T I O.

videantur, cum, audito, vti aiunt, cursu iuridico, h. e. tenui compendiolo Iuris perlecto, memoriaeque tradito, iuris formulas quasdam blatterare, et aliquid sine iuris scientia et ordine ex iure in chartam coniicere, et in foro nauare operam clientibus possunt, hos cum doctissimis viris non Iuris Consultos, qui veram legum origines et causas calleant, sed Ictorum scribas dixeris. Arceamus igitur hos, ne litteras has conspurcent atque contaminent.

Sed sunt alii iuuenes, bonis praeceptoribus vfi, tum natura sua, tum amoenarum litterarum studio inflammati, qui, cum ad iurisprudentiam transeunt, ita, vt omnes multum vtilitatis ad iuris disciplinam esse allaturos sperent, hanc dico spem mirifice destituunt, et cum procedere in via parant, statim in limine consistunt, atque recedunt, veriti, ne non magnum litterarum politarum campum simul cum amplo Iuris stadio percurrere queant.

P R A E F A T I O.

Et quidem negandum haud est, ei, qui magna volumina auctorum veterum animo consideret, atque eos ordine perlegere cupiat, facile animum confundi, et vnde initium capiat, vnde finem, haud constare. Cui rei accedit praeterea hoc, quod Veteres Romani non, vti nos, vni scientiae adhaerebant, sed in omnibus excellabant, atque in suis scriptis ex omni re litteraria atque arte aliquid admiscebant, vel de iis ex professo agebant, adeo, vt, qui harum rerum ignari sunt, ista vel plane non intelligant, vel certe cum voluptate non perlegant. Cuius rei auctor sit magnus ille orator CICERO, qui in scriptis suis maximam Iuris, omnis philosophiae, et historiae scientiam professus est. Quin LUCRETIVS naturam rerum, et MANILIUS astronomica per- scrutatus est, in quibus tamen omnibus sunt, quae Ius ciuile Romanaque instituta satis illustrent.

Ceterum

P R A E F A T I O.

Ceterum, cum hos libros magni interdum pretii comparare pecuniae angustia, qua premuntur multi, impedimento est, quid mirum, si his difficultatibus iniectis harum litterarum amor facile exspiret, atque iuuenes relicto hoc studio vnice iuris artem exerceant, atque, quae iis ex Auctorum penu inseruiant, relictis iis, ex Iuris Interpretum scriniis excutiant.

Quas remoras cum animo perpenderem, pro eo in has litteras amore, quem in primis earum magnis auctoribus et statoribus Io. MATTH. GESNERO, cuius cineres illacrimo, et Io. AUG. ERNESTIO, qui nunc Academiae nostrae summa gubernacula tenet, eorumque fidei in docendo, quam nunquam non, dum viuam, gratus colam, debeo, excitatus, iis melam afferre, omnem nauarem operam, consilium cepi, an bonum, an reiiciendum, alii me doctiores videant, eiusmodi, vt, cum Opti-

P R A E F A T I O.

mus ille GESNERUS ex CICERONE, PLINIO, atque graecis Scriptoribus loca iucunda legentibus atque proficua discentibus, feligeret, atque in compendium mitteret, et in *Chrestomathiam Ciceronianam* ^{e)} *Plinianam* ^{f)} et *Graecam* ^{g)} redigeret, notasque explicationis gratia adiungeret, eius exemplum quanquam e longinquo secutus, ipse ex Auctoribus veteribus ea loca, quae Iuris diuini humanique scientiam illustrarent, et iuris cultoribus $\chi\rho\nu\sigma\alpha\ \mu\alpha\theta\eta\tau\iota\kappa\alpha$ essent, colligerem, atque in praeceptoris Celeberrimi gratam memoriam *Chrestomathiae Iuris* nomine insignirem.

Et quanquam bene memor sim, quod ex fontibus ipsis melius bibatur, idemque ego ipsam Auctorum lectionem semper praeferre soleam, tamen existimaui, si reiectis aliis, quae non

e) edita Vinar. 1717. 8.

g) in lucem missa, Lipsiae

f) prodita len. 1723 forma 1731. 8.

P R A E F A T I O.

non ad ius faciunt, ea tantum, et minori quidem pecuniae pretio proponerentur, magis e re esse Ictorum, vt locos iuri interpretationi inseruientes cognoscerent iuuenes, quam, vt lectione auctorum plane intermissa, neque hos notos haberent.

Quod consilium si prospero successu careat, voluntas tamen nostra, quae vnice in augenda iurisprudencia cernitur, haud reprehendenda erit; et quidem eo minus, quod hac in re auctorem habeamus satis locupletem *Virum Celeb. IUST. HENN. BOEHMERUM, in Specimine Iurisprudenciae Ante-Iustinianae ex A. Augusto, Hipponensi Episcopo, in forma dissertationis edito* ^{h)}.

Ceterum, quod in hoc instituto ab ENNIO initium ceperim, monendus est Lector breuissimis. Merebatur sane Q. ENNIUS, vt in primis staret, tum quod e Romanis vnus esset ex antiquissimis, qui poeseos, atque historiae laude celebran-

h) Hal. 1742. et repetito in *Eiusd. Exercit. ad Pand. T. I. p. 210.*

P R A E F A T I O.

lebrantur, quin viuis ob morum elegantiam atque doctrinae famam viris optimis acceptus esset. Natus enim teste CICERONE *Brut. 18. et pro Arch. 9. et 10.* Rudiae, vrbe Italiae post Romam conditam CCCCX. *Annales, et Historiam sacram, et Tragoedias* scripsit, versibus pro tempore suo quidem rudibus, sed magno ingenio, quos posterius Romani ita adamarunt, vt iis, tanquam margaritis, et bonis dictis scripta sua exornarent; quare factum, vt, etsi ENNII scripta interissent iniuria temporis, magna tamen eorum pars seruata fuerit eo, quod alii scriptores suis intexerint libris, vt inde modica collectio fragmentorum ex ENNII scriptis exorta sit.

In familiaritatem Catonis et Scipionis Naficae peruenerat, eo magis ipsi iucundam, quod praeter sermones doctos, quos cum illis miscebat, et institutionem graecarum litterarum, quam Catoni dabat, etiam, vti credo, largam vini copiam, quam valde amabat, in angustia rerum percipiebat. Quin etiam sub

Fuluio

P R A E F A T I O.

Fulvio Nobiliori et Torquato contra Aetolos et in Sardinia militavit, donec a podagra misere vexatus LXX. annis natus vita excessit, quo facto eius reliquiae Scipionis sepulcro illatae sunt. Sed redeundum est in viam.

Altera ratio, quae nos ad ENNIUM legendum inuitaret, erat haec, quod verbis antiquis et obsoletis utitur, quare, uti existimo, a paucis lectus, et vel eo nomine commendandus, quare eius dictiones, cum a LL. XII. Tab. reliquis scriptoribus propius abest ENNIUS, hunc Iuris vniuersi fontem, uti interdum in libello palam fecimus, mirifice illustrant. Quin etiam recentiorum Ictorum scripta, ac adeo Leges C. THEOD. et IUSTIN. inde lucem sortiuntur, quod harum auctores veterum et pure scribentium Ictorum libros quotidie manibus volutabant, et quae inde referebant, vel Latii veteris elegantiam redolebant, vel in sermonem tunc temporis vsitatum conformatae erant.

Quare

P R A E F A T I O.

Quare non est, quod legibus nostris latinitatem velis eripere, idem enim faceres, ac si aeneae aetatis scriptores latinos esse negares. Tandem in ipsa lectione saepius repetita quantus numerus rerum se offerebat, tum earum, quae ex intima Iurisprudencia, v. c. *de iure manum confertum; de iure auspicio* impetita erant, tum quae ex analogia ductae verba iuris atque legum explicabant, adeo, vt ne libellus in nimiam molem excresceret, multa refecanda, et in aliud tempus reseruanda ducerem. Ne enim vnam rem in diuersis scriptoribus allatam bis terue dicerem, atque loca ex aliis Auctoribus prorsus exscriberem, potius duxi, in posterum omnia, quantum fieri potest, ad locum quasi classicum referre, vt vno quasi contextu res possit percipi et explicari.

Adieci praeterea notulas quasdam, tyronum causa, quorum potissimum scripsi, quibus verba ENNI in maiorem lucem ponerentur, insertis tamen quibusdam leuioribus emendationibus

nibus

P R A E F A T I O.

nibus, tum exercitationis gratia, tum vt illi, qua ratione hac in re procedendum sit, assuefierent, non vero, vt ingenii vim, et doctrinae copiam, quae, quam parum in me sit, lubenter fateor, ostendam, simulque has doctioribus, si eas legere haud dedignentur, ad iudicandum, relinquam, atque modestam eorum censuram expectem. Si quis enim me peccasse, aut quaedam omisisse viderit, quod abs me haud alienum puto, quis enim omnem legum ambitum memoria teneat? sciat, me haec omnia in otio scripsisse tum, cum in rerum forensium, quibus agendis vel iudicandis superesse officii ratio postulat tanquam mari iactatus viribus defessus in portum, vt me recrearem atque cum voluptate nauigarem, recepissem, mihiq; accidisse idem, quod, qui ex longa peregrinatione reduces fati, in ipsis aedibus suis quasi hospites sint.

Ceterum secuti sumus fere in omnibus editionem F R A N C. H E S S E L I I ⁱ⁾, qui
HIER.

i) *Amstel.* 1707. 4.


P R A E F A T I O.

HIER. COLUMNAE repetiit, eiusque paginas et versus, quo faciliori negotio in exemplari ipso inueniantur loca, adiecimus, quod omnium sit, quantum scimus, optima, atque in doctorum manibus, quanquam diffiteri haud possumus, PAULI MERVLAE ^{k)} nobis interdum magis placuisse, alterique nos praetulisse, cum *Vir Doctissimus*, tum in componendis ENNII fragmentis, tum iis explicandis maiorem operam atque studium collocauerit.

Ceterum si hic noster labor non prorsus inutilis atque iniucundus foret, etiam LVCILII *Satyras*, aliosque Auctores, si temporis, aliorumque laborum ratio permittet, ad hunc modum dabimus. Ita vale, *Lector Beneuole*, nobisque faue, erroribusque nostris ignosce.

^{k)} *Lugd. Bat. 1595. 4.*

ENNII



ENNII ANNALIVM

Lib. I. p. 13. vs. 1.

ex Edit. FR. HESSELI.

Ilia dia nepos, quas aerumnas tetulisti.

Lib. I. p. 16. vs. 1.

Endotuetur ibus Lupu' foeta, conspicit amneis.

Dia Nepos et Lupus femina.] ex lectione MERULAE.
Antiquissimi Romani in paucitate verborum, aut teste CHARISIO *Instit. Grammat. Lib. I. In nominibus in os exeuntibus, quae in genetiuo singulari is finiuntur et non possint transire in feminina, masculinis utebantur etiam tum, cum de genere feminino dicerent, quod, quo magis discerneretur, adiectiuum in genere secundo apponebant, uti videre est in loco Enniano primo, nisi quis etiam *diam* pro *deam*, et substantiuo velit accipere, quod tamen haud probarem, cum ex hac ratione tria substantiua praeter necessitatem cumulentur, et dius pro diuino saepius inueniatur, uti etiam eadem ex ratione, quod verbum nepotis utrumque genus recentiori tempore continet, CAIUS *Instit. I. 6. 4. Feminae, in-*
Küstneri Chrest. Enn. I. A quit,*

quit, vel nepotes masculi ex filio, vna emancipatione de patris vel aui exeunt potestate, et sui iuris efficiuntur. Praeterea autem etiam addebant verbo distinctionis gratia vocem feminam, vti hic ponitur *Lupus femina*. Quod etiam in Legibus fuit vsurpatum, cuius rei exemplum praebet Lex Regia Numae Pompilii: *Pellex aram Iunonis ne tangito, si tanget, Iunoni crinibus demisseis AGNAM FEMINAM caedito*, FESTUS v. *Pellex*, GELL. N. A. IV. 3. vti alia Lex eiusdem Regis de spoliis opimis: *Tertia spolia Iano Quirino AGNUM MAREM caedito*, FESTUS v. *Opima*. Plura huius generis exempla collegit BURRM ad QUINT. *Inst.* l. 6. p. 74. De voce Endotuetur, et quod veteribus pro *in*, *endo* dictum sit, alio tempore dicendi erit locus.

Pag. 18. vs. 2. sqq.

*Curanteis magna cum cura, concupienteis
Regnei, dant operam simul auspicio, augurioque,
Hinc Remus auspicio se devovet atque secundam
Solum avem servat. At Romulu' polcer in alto
Quairit Auentino, servans genus altivolantum,
Certabant, urbem Romanne, Remanne vocarent.
Omnis cura vireis, vter esset Endoperator
Expectant, veluti Consol, quom mittere signum
Vult, omneis avidei spectant ad carceris oras,
Qua mox emittat picteis ex faucibu' currus.
Sic expectabat populos, atque ore timebat
Rebus, vtrei magnei victoria sit data regnei,
Interea sol albu' recessit in infera noctis:
Exin candida se radiis dedit icla foras lux:
Et simul ex alto longe polcerrima praepes
Laeta volavit avis: Simol aureus exoritur sol*
Cedunt

*Cedunt ter quatuor de coilo corpora sancta
Avium, praepetibus sese polcrisque locis dant,
Conspicit inde sibi data Romulus esse priora,
Auspicio regnei stabilita scamna, solumque.*

Curantes magna cum cura.] Ita veteres pro valde curare dixisse, facile quisque videt. Ceterum locutio cum cura curare etiam apud PLAUTUM *Menaechm.* V. 4. 9.

Magna cum cura ego illam curari volo.

Auspicio augurioque.] Augurium et auspicium in hoc differre putat NONIUS V. 30. quod sit *auspicium avium inspectio*, et quae ex volatu avium significatur, et vocibus, *augurium autem rerum omnium coniecturas prudenter et diligenter amplectitur*, et ISIDOR VIII. 9. dicta esse *auspicia*, quasi *avium aspicia*, et *auguria*, quasi *avium garrina*, h. e. avium voces et linguas putat, ita, ut augurii scientia tanquam genus, *auspicia*, et *inspectionem avium in se contineat*. Sed fortasse praesertim hoc in loco aliquid discriminis ponendum, quod in auspicio considerabatur, an sit secunda avis, et praepes, cum Remus *secundam avem servat, et pulcherrima, et praepes, avis laeta volat*. In augurio vero spectatur magis locus; an praepes et pulcher avis regione constituta appareat, quod *praepetibus polcrisque locis sese dant aves*, indeque elicitur, tum aves, tum loca fausta, dici proprie praepetia. Quae in re me aliqua ratione confirmat augurium in secundi a Romulo Regis Numae Pompilii electione captum, quo augur regiones ab oriente ad occidentem constituit, et, ut ipsi signa certa et clara sint inter eos fines, quos fecit, precatus est. LIV. I. 18. Cum igitur loco electo et optato augurium conspiceretur, faustum erat augurium. Sed quicquid sit opinionis nostrae, auguribus acutioribus diiudicandum relinquo. Conferatur praetera de hac scientia

tia PAUL MERULA *de sacerdot. Rom. cap. II. et elegantissima dissertatio Viri Illustr. maximo rei publicae et litterariae detrimento erepti IO. IAC. MASCOVII de iure auspicio- rum.* Vnum adhuc adiiciam, quod per L. CONSTANTII & IULIANI l. 5. C. *de malef. et mathem.* prohibitum sit, *'ne quis aruspicem consulat, aut mathematicum, nemo ariolum. Augurium et vatium prava confessio conticescat.* Ceterum vox praepes confirmat analogiam τὸν *perpes* pro perpetuo quod legitur l. vlt. C. Th. *de canon. frument. urb. Rom. XIV. 15. et l. 2. §. 2. eod. si cert. pet. de suffrag. II. 29.* quare opus non habebat Tribonianus, qui illud. l. 3. C. *de can. Ec. et l. vn. §. 1. eod. de suffr. in perpetuam, & perpetim l. 55. C. Th. de haeret. in perpetuam l. vlt. XVI. 5. C. de re iud. mutaret, cum Romani fortunatim, confestim &c. sine periculo dicerent.*

Avem servat.] Hoc verbum proprium ex augurali scientia, quando capiuntur auspicia, vnde Graeci, vt DIO CASSIUS LIII, *ὀρνιθία*, et *ὀρνιθοσκοπία* appellant. Et quanquam plerumque *servare de coelo* adhibetur tum, cum coelum contempletur, si qua parte fulgur sit, aut tonitru, quae est Praeceptoris nostri, quem inter omnes maxime veneror, ERNESTI sententia in *Clave Cicer. v. Lege Aelia, et servare, in primis loco CIC. de DIV. II. 35.* confirmata, tamen etiam in auspiciis et inspectione avium haec vox occurrit bis *add. loco ENNII, hic, et breui post*

servans genus altivolantum.

et praeterea, quem MERULA ad h. l. excitat apud OVID. *Trist. I. 8. 50.*

Linguae servatae pennae dixit avis.

Vno

Vno verbo tantum adiicimus, haec verba etiam in *L. Aelia* de Comitibus inueniri, *vt liceat de coelo feruare*, de qua apud CIGERONEM et ERNESTI *Clav. l. add.* multis agitur; sufficiat locum CIG. in *Vatin. 7.* inde afferre: *Num quem post urbem conditam scis trib. plebis egisse cum plebe, cum constaret seruatum esse de coelo, scilicet facillimum impedimentum comitiorum tollendorum esse, quando quis seruasset de coelo.*

Pulcher] Epithetum Diis et heroibus solenne cf. MERULAM *ad h. l.*

Auentino] In quo dissentit ENNIUS a reliquis Romanae historiae scriptoribus fere omnibus, vt DION. HAL. I. p. 73. *ed. SYLB.* et LIVIO I. 7. qui Remum in Auentino fuisse, atque sex vultures conspexisse commemorant.

Romanne, Remanne] De origine urbis multa disputant viri docti, inter quos haud pauci sunt, qui Romam ante Romulum fuisse extructam, et ab hoc modo magis exaedificatam, qua de re imprimis consulendus IAC. GRO-NOVIUS *in dissert. de origine Romuli Lugd. Bat. 1684.* excusa, et MERULA, et HESSELIUS *ad h. l.* vt imprimis de incolis Romani agri ante Romulum conferas DION. HAL. et LIVIUM in initio *Histor.* Ceterum, vnde nomen duxerit Roma, multae quoque opiniones sunt, quas in primis DION. HALIC I. p. m. 59. SOLIN. POLYH. I. pr. et MERULA l. c. commemorant, cum alii viri docti a Romulo, alii a *ρωμῆ* ducant. Quid hac de re senserit IUSTINIANUS Imperator ex *praefat. Nouellae XLVII.* palam fit: *Aeneas, nobis Troianus Rex, reipublica princeps, et nos quidem Aeneadae ab illo vocantur, siue quis etiam ad secunda principia respexerit, ex quo pure Romanorum nomen apud homines coruscavit, reges eam constituerunt Romulus et Numa: ille quidem civitatem aedificans, hic autem legibus ordinans et exornans.*

Ceterum an POMPONIUS ICTUS in l. 2 §. 1. 2. *D. de orig. Iur.* Romulum pro conditore vrbis Romae acceperit, dubitat MERULA *ad h. l.* ea ex ratione, quod ille contendat: *initio civitatis nostrae populus, sine lege certa, sine iure certo, primum agere instituit, omniaque manu a Regibus gubernabantur. Postea aucta in aliquem modum ciuitate, ipsum Romulum traditur populum in XXX curias diuississe.* Quid igitur? Nonne ex hoc colligitur, iam ante Romulum, ciuitatem a Regibus manu esse gubernatam? Sed, vti in POMPONI libro haud curata rerum connexio potest postulari, ita inprimis Vir Doctissimus RUPERTUS ad h. l. distinguit tempus ante curiarum diuisionem, de quo §. 1. agit, quam deinde §. 2. de statu ciuitatis, Romulo Rege excipit; quae explicatio verbis eius videtur satis accomodata, quamquam etiam alii Historici tribus, et curias institutas ante tempus, quo Romulus solus imperabat, ponunt.

Endoperator] Hoc dici pro Imperatore, antiquo more loquendi, extra dubitationem est. Sed pro Rege antiquis dictum fuisse, maiori premitur difficultate. Cum enim vetustissimus temporibus nemini, nisi qui caeso legitimo numero hostium virtute militari excellebat, hoc nomen tribueretur, vel ab exercitu aut Senatu, *Cic. Ep. Fam. II. 10. et Phil. XIV. c. 4. et MANUT. ad l. priorem*, deinde vero Caesares ad vitandam inuidiam hoc nomine pro rege vterentur, hoc in loco significatio illa, qua Rex denotatur, recentior sub Caesaribus, in ENNIO iam occurrit; quae minime ad duces exercitus potest accomodari, cum hic nulla belli fiat mentio. Plura de Imperatoris nomine vide apud SPANHEIMIUM *de usu et praest. numism. diff. X. et XII.*

Veluti Consol &c.] Elegantissima descriptio ludorum Circensium, quibus ex ENNII sententia praest Consul, quique instituebantur in Circo, aut Campo Martio.
Praeter

Praeter alios ludos inprimis excellabant certamina curulia, in quibus equi curules ex carceribus emissi, quibus infidebant aurigae, currendo certabant, posteaquam is, qui praeerat, magistratus signum, quod mappae nomine veniebat, et cretatum erat, miserat. Plura qui de his ludis, et Circo legere velit, adeat *DION. HAL. VII. p. 775. CASSIODOR Var. III. 51.* qui tamen male originem mittendae mappae Neroni tribuit, *SUET. Ner. 2. ductus.* Ipsam figuram circi, et carcerum vide in *DONATI Roma p. m. 342.* et de missione mappae *RUBEN Elect. I. 30.* de omni vero materia ludorum Circensium consulas *ONUPHR. PANVINUM de ludis Circens. et SALMAS. ad SOLIN p. 395. sq.* Ne quis vero existimet, haec alieno loco allata esse, sciat, ludorum circensium, et equorum curulium varie in lure nostro mentionem iniici, utpote in *COD. THEODOS. XV. 10. de equis curulibus l. 5. C. de spectac. l. 7. eod. de numer. actuar. et aliis locis.* Et, uti vetere Republica cura horum ludorum Consulibus et Praetoribus, postea Praefecto Vrbi erat commissa *l. 27. 18. C. TH. de Praef. et CASSIODOR. Var. I. 31. 32. 33.* ad quem magistratum variae Leges, quae de hac re agunt, datae sunt.

Carceris oras] In circo primo, unde mittuntur equi, carceres dicuntur, teste *VAR. IV. 31. p. m. 25.* dicti, quod coercentur, quod exire prohibentur *SERV. ad VIRG. Aen. I. 58.* quin *L. Papirio Crasso secundo et L. Plautio Venno Coss.* primum esse positos *LIV. VIII. 20.* testatur.

Pictis faucibus] Carceres circi ita eleganter appellantur, quod sint fornicati, et ab vna parte nullum habent exitum, cuius generis erant *fauces Caudinae* apud *SIL. VIII. 576.* et *fauces macelli* apud *CIC. VERR. III. 76.* in quo tamen etiam locum habet significatio ea, de loco, qui difficilem viam admittit. Sed pictos fuisse carceres, & reliquas partes circi, inprimisque imagines actorum, aurigarum

rum, quin equorum, praemii loco positas, demonstrat l. 4. C. de spect. si qua in publicis porticibus, vel in his civitatum locis, in quibus nostrae solent imagines consecrari, pictura pantomimum veste humili, et rugosis sinibus agitatore, aut vilem offerat histrionem, illico revellatur - - In aditu vero circi, vel in theatri prosceniis ut collocentur, non vetamus. Quam egregie explicat IAC. GOTHOF. ad l. 12. C. TH. XV. 7. de scen. quae eadem, quae s. citata est, cf. quoque TERTULLIANUM de spectaculis.

Conspicit] Nomen ex augurali scientia petitum. Cum templum faciunt augures h. e. locum augurio capiendo definiunt, conspiciione oculorum, conspectum finiunt. VARRO de LL. 6. 2. sed h. in l. videtur significare, quando seruanti offertur augurium, uti primitium auem specere, apud eundem VARRONEM et ENNIUM Annal. XVI. p. 111.

Rex paullo spexit de montibus celsis.

Regni stabilita scamna, solumque.] Quid sint regni scamna, solumque, iure quaeritur, an sint pro ornamentis regniis posita? nec ne. Nam quisque facile videt, per epitheta describi, regnum bonis auibus constitutum esse. Iam MERULA videtur, esse in ea opinione, cum substituere aliquando vellet solium, sed nollet discedere a vulgata, quo certe eo minus indiget, quia apud FESTUM V. *solla* pro foliis aut sedilibus ponatur. Praeterea folia Regibus destinari vel LIVII l. 47. *regale solium Tarquinii* et VIRGILII Aen. XI. 301. *altum solium* facile commonstrat. Sed quid faciemus cum scamnis, quae inter apparatus regium nullum inveniunt locum, sed in re domestica inter lectos et subfella usum praestant. Quare, reiecta hac sententia, aliam viam muniamus. Recurramus igitur ad vocem *solum*. Solum proprie terra dicitur, quare apud ENNIUM et Lucre-

LUCRETIVM *sola regni, et sola terrae* plerumque coniunguntur, vti ANNAL. III. vs. 1. p. 55.

Tarquinio dedit imperium, simul et sola regni

et alibi p. 134. vs. 2.

Sed sola terrarum, postquam permensa parumper.

et VARRO de LL. IV. 4. *Poetae appellarunt summa terrae, quae sola teri possunt, sola terrae* quae loca cum nostro si conferas, eadem fere verba, eundemque sensum efficies. Stabilita igitur est sedes regni, et regia terra, quemadmodum apud PLAUTUM *Merc. III. IV. 68. stabilis patria.* Quae significatio cum sit propria, quare eam relinquamus, nisi quis solum pro fundamento accipere velit, cum eandem vocem adhibet CICERO *Bruto 74. et cum fundamento oratoris coniungat.* At pergamus ad scamna. *Crudum solum, et immotum agricolae scamnum vocant.* COLUMELLA II. 2, 25. ait. Cum igitur solum scamni nomine veniat, quid aliud dicitur per scamna solumque, ac si ENNIUS et LUCRETIVS per *év dia dvoiv* terrarum sola, et regni sola nuncupant. Qua in re si coniectura nostra sit cuidam paullo durior, ingenio nostro aliquando indulgisse existimet. Sed e Grammaticorum pulvere egressi, in Ictorum foliis adhuc paulisper confideamus. Docent vero Icti solum esse *aream, cui aedificium superponitur, et ius soli sequi aedificium; esse partem aedium* l. 21. D. de pign. act. l. 49. D. et l. 2. C. de rei vindic. ad solum referri omnia, quae solo continentur, et cohaerent: *agri, terrae, sata, arbusta, aedificia, non vero aceruus, et arundineta, et salicta, antequam caesa sunt.* SENECA *Nat. quaest. II. 1. l. 12. §. 11. D. de instr. vel instr. leg. l. 1. §. 4. D. de vi, et vi armata l. 10. eod. quod vi aut clam, inde pignora soli capiuntur*

et seruitutes in solo constituuntur l. 15. §. 2. D. de re iudic. et l. 3. eod. de seruit. Quin solum et superficies sibi invicem opponuntur l. ead. quae differentia certo modo et respectu, imprimis in vsu rerum solo impositarum locum invenit. Ceterum solum, et terram in nostris libris pro eadem re haberi ex l. 17. §. 8. D. de act. emti intelligitur: quae terra continentur, aedium sunt.

Pag. VI. vs. 6. edit. MERULAE

et pag. 125. edit. HESSELI

Augusto augurio postquam incluta condita Roma'st

Hunc versum subiicit MERULA prioribus, et ita interpretatur, ac si ENNIUS narrasset, quod condita Roma Remus transgressis muris, ac lege de sanctitate murorum Romuli, qui eum sequenti versu increpabat: *Nec pol homo &c.* sit interfectus, quod a ratione, et nexu verborum non videtur alienum, quare potius eum, quam HESSELIUM secutus sum, qui hunc versum inter incerta, et, ut ita dicam, inter extrauagentes ENNIUM reiecit. Apud SUETONIUM Aug. 8. legitur *augusto augurio*, qui illud interpretatur *per loca religiosa, et in quibus augurato quid consecratur, augusta dicuntur ab auctu, vel ab auium gestu, gustuue.* Cui adiiciatur FEST. V. *augustus locus, vel ab auium gestu, vel ab auium gustatu, quia aues pastae id ratum fecere.* Non igitur absom, quin malim cum HESSELIO pro imperio *augurio*, legere quod idem etiam apud VARR. de R. R. III. 1. ex ENNIO petatur, et significat, postquam addixissent, ratumue habuissent aues, quod augustum augurium est, condita est Roma.

Incluta] Gloriosus. SERV. enim ad VIRG. Aen. VI. 781. notat κλυτὸν *gloriosum dicunt.* Verbum sane bonae notae, cum apud Auctores optimos occurrit, et a verbo latino

tino

tino incluo originem ducit, vti apud ENNIUM *cluere* hac ratione vsurpatur *hoc libro Annal. vs. 2. p. 11. et Ambr. p. 295.* quin et in Iure nostro receptum. Quam enim Romam appellat *inclytam* hoc in loco et p. 13. vs. 2. ENNIUS, l. 11. C. *de adfessor.* Constantinopolim nuncupat, vti etiam ciuitates *inclytas* refert l. 6. C. *de commerc. et mercat.* Sed praeterea in ipso Imperatoris Iustiniani titulo legitur *Inclytus*, quod videre est in omnibus prooemiis librorum Iuris, et *gloriosissimum* denotat ad exemplum *inclytissimi Ducis* apud COLUMELLAM l. 4. quemadmodum eum hoc nomine bina vice ornat Ioannes Episcopus vrbis Romae l. 7. C. *de summa trinit.* At haec dignitas non mansit solum apud Imperatores, sed etiam ad Praefectos Vrbi et Praetorio transiit, quibus *inclytas potestates* tribuit l. 13. IX. I. C. TH. *de accusat. et inscr.* et IAC. GOTHOFREDUS *in Notis.*

Pag. 25. vs. 4. sq.

*Nec pol homo quisquam faciet impune animatus
Hoc, nisi tu, nam mei calido das sanguine poenas.*

Nec pol homo] Nemo non videt, hic indigitari Legem Romuli, qua muri sancti esse debeant, neue quis nisi per portas vrbem ingrediatur, neue egrediatur, de qua satis diligenter agit PAULUS MERULA *de LL. Rom. cap. 2.* cuius verba hic tanquam in compendium mittamus. Primo huius rei mentionem iniicit POMPONIUS l. 11. D. *de rer. diuis. si quis violauerit muros, capite punitur, sicuti, si quis transcendet scalis admotis, vel alia qualibet ratione; nam ciues Romanos alia, quam per portas egredi non licet, cum illud hostile et abominandum sit. Nam et Romuli frater Remus occisus traditur ob id, quod murum transcendere voluerit, quare etiam*
muri

muri, portae, uti res sanctae quodam modo diuini iuris sunt, neque solum Romae, verum etiam in municipiis passim muri sancti habebantur l. 1. pr. l. 8. §. 2. eod. et ideo muros sanctos h. e. sanctione quadam confirmatos l. 9. §. 2. eod. dicimus, quia poena capitis constituta est in eos, qui aliquid in muros deliquerint §. 10. Inst. eod. l. 2. D. ne quid in loco sacro. Iam transilientem Remum muros capitis poenam luisse, omnes fere Poetae et Historici confirmant, praeter SERVIVM ad VIRG. Aeneid. VI. qui hoc inter fabulas refert. In condendis vero muris ita procedebant: οἱ πόλιν ἀπ' ἀρχῆς κτίζοντες, ὅσον ἂν μέλλωσι τόπον ἀνοικοδομεῖν, ἐπίασιν ἀρότρῳ βῆν ἄρρενα καὶ θήλειαν ὑποζεύξαντες. ὅταν δὲ τὰ τεῖχη περιορίζωσι, τὰς τῶν πυλῶν χώρας διαμετρῶντες τὴν ὕννιν ὑφαίρῃσι, καὶ μεταφαίρῃσιν, ἔτω τό ἀρότρον, ὡς τὴν ἀρῃμένην πᾶσαν ἱερὰν καὶ ἄσυλον ἔσομένην. Urbem qui de nouo condebant, aratro, cui bouem marem et feminam subiunxissent, locum, quantum erat murus occupaturus, designabant, portarumque dimensi spatia, vomere exento, aratrum earum locis intactis transferebant, quod omnem terram aratam sacram et inuiolabilem censerent futuram. PLUT. Quaest. Rom. quaest. XXVII. p. m. 271. Conditis igitur muris, quibus urbis appellatio finitur l. 2. D. de verb. signif. non permissum erat in illis habitare, vel aliquid eis coniungere, vel superponere, l. vlt. D. ne quid in loco sacro et l. 9. §. 4. de rer. diuis. nisi principis vel praesidis auctoritate ll. cit. Sed an circa portas et muros familiae publicae habitatio ad incendia arcenda relicta fuerit, vehementer dubito, cum ex l. 1. D. de offic. praef. vigil. nihil aliud efficitur, quam eam familiam iis in locis dispositam esse, vnde, si opus, euocaretur h. e. uti vigiles constituti, quod verbum disponendi etiam de militibus adhibetur in l. 1. §. 12. D. de offic. praef. urbi. Tandem, cum nec sine praesidis iussu liceret muros municipales

cipales

cupales reficere l. 9. §. 4. D. de rer. diuis. ita ordines atque incolas urbium singularum muros novos debere facere, firmiter veteres renouare, impendiis ordinandis, ut adscriptio currat pro viribus singulorum, et per distributionem per singula iuga certa sine vlla immunitate statutum est, per l. 34. 49. 51. C. TH. XV. 1. de opere publ. Sed orationis nostrae longius progressum muro tandem circumscribamus.

Poenas.] Poena generale nomen est, omnium delictorum coercitio, non tantum pecuniaria, sed et capitis et existimationis, l. 131. D. de verb. signif.

Pag. 32. v. 1.

Virgine' nam sibi quisque domi Romanu' habet sas.

Habet sas.] MERULA legit magis accomodate rapit sas, et loco domi, domos, cum facile quis existimet, de insigni raptu Sabino haud tacuisse Ennium. In exemplum huius raptus Sabini mansit ritus Romanorum, quo in nuptiis contrahendis rapti simulatur virgo ex gremio matris, aut si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur, quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit. FESTUS v. Rapti CATULL. Carm. LVIII. v. 3. cf. BRISS. de ritu nupt. p. 316. inter eiusd. Opera; quid? quod auctoritate IAC. RAEV. ductus V. CL. GEO. d' ARNAUD Coniect. I. 27. ex hoc raptu Sabino nuptias usu contractas deducere studet, cuius rationibus tamen satis fecit ALB. DIETR. TRECKEL in notis ad BRISS. librum adductum p. 304. Cum vero hic raptus virginum, qui dicis gratia instituebatur, et quod virgines facile, uti credo, rapti se sinebant, et sine vi cedebant, sine poena erat, contra, qui vim adhibebant raptores virginum graui, poena,
tum

tum ex antiquis legibus, tum ex L. Iulia de vi, tum ex Constitutionibus Principum afficiebantur, quae plerumque erat capitis cum amissione bonorum, quae cedebant ingenuae raptae, l. 54, C. de episc. et cler. l. vn. C. de raptu virg. et tit. 24. Lib. IX, C. TH. de raptu virg. vbi consule GOTHOFR. Comment.

Pag. 36. vl. 1. sq.

*Romulus in coelo cum Diis genitalibus aeuum
Degit.*

Diis genitalibus.] Qui sint, recte anquiris. Sunt, qui per hanc vocem Deos indigetes, qui ex hominibus inter Deos relati, tanquam maiores a Romanis colebantur, intelligunt, quam ob causam Vir magni nominis ADR. TURNEBUS *Advers.* XX. 24. ab ENNIO non *Diis genitalibus* sed *indigenitalibus* scriptum existimat, quod Romulus fere praeter Aeneam ex maioribus in coelo inuenisset neminem. Sed seruanda est lectio antiqua, quod Auctor per eos sine dubio Deos intellexit Martem et Venerem, e cuius profapia originem suam deducebat Romulus; genitales vero appellari natales legibus nostris confirmabo. Inde *genitales ciuitates* l. 20. C. THEOD. XVI. 10. *de paganis, solum genitale, cuius originalis est.* l. 1. C. THEOD. V. 10. *de inquilin. et colon. patria genitales* l. 13. C. de oper. publ. Quid? ne Legis XII. obliuiscar. Tab. VII. QVI OS EX GENITALI FVDIT, Plerique interpretes illud de dente ex gangiua deiecto intelligunt, cum ego mallet genitale nihil aliud esse, quam sedem pristinam, qua quasi natum est os, quocum fere conspirat locutio l. 101. D. de verb. signif. si talum excussit. Distingunt enim Decemviri inter membrum ruptum, h. e. laesum, vti est in *ead. tab.* SI RVPITIAS h. e. si damnum dederit FES T. h. v. et inter os fractum, quod
inter

inter atrocio rem iniuriam refert, h. e. quando vsus membri interiit. Neque tamen inficias eo, nondum mihi probasse coniecturam PITHOEI, *ad collat. Leg. Mo- saic. II. 5.* et GOTHOFREDI *ad LL. XII. Tab.* vbi loco verborum: *quae lex generalis fuit libero CCC. seruo CL. poenam subito sestertiorum,* ponunt, *qui os ex genitali fudit &c.* et ad locum GELLII supra adductum prouocant, qui de osse fracto agit. Sed vnde vestigium genitalis, quae vox deinde sua vi in Leg. XII. Tab. locum sibi fecit? In vindicanda enim lectione antiqua idem GELLII locus mihi adfit, *qui iniurias atrociores, vt de osse fracto, non liberis modo, verum etiam seruis impensiore damno vindicatas* contendit. Quid igitur aliter Auctor collationis, cum *de atroci iniuria,* quod rubrum est Tituli, dixit, *quae lex generalis fuit* h. e. tum ad liberos, tum ad seruos pertinet, vbi antea §. 5. dixit: *generaliter dicitur iniuria, omne, quod non iure fit?* Sed redeamus in viam. Breui post ipse Romulus *genitor* Populi Romani et sanguis Diis oriundus ab ENNIO nuncupatur, quare non a re erit alienum, si ipsum locum adiiciam.

Pag. 38. vs. 4.

o Romole, Romole, dico

Qualem Te patriae custodem Dii genuerunt,

Tu produxisti nos intra luminis oras

O pater, o genitor, o sanguen Diis oriundum.

Genuerunt] Et a ICTIS genuere, pro gignere dici demonstrat l. 17. §. 1. D. *de Legat. I. si qua mihi filia genitur,* quod item legitur l. 13. §. vlt. eod. *de rebus dubiis,* quare non est, quod HALOANDER in suo exemplari legat, *gignitur,* quidquod hoc tanquam solenne in testamento

mentis

mentis verbum nuncupari coniicit, SEIP. GENT. *Parenter* l. 27. et DUCKER *de Latin. vet. ICTorum* p. 416. vti etiam *genitoris* nomen pro patris in l. 7. C. TH. VIII. 12. *de donat.* locum occupat.

Patriae custodem.] Hoc de magistratibus dici, alio loco.

Sanguen oriundum.] *Sanguen* pro origine generis fumit l. 1. C. TH. XV. 10. *de equ. curul.* equos *hispani sanguinis*, vti *oriundus* pro orto ponunt ICTorum libri, *ex patria, et prouincia oriundi* l. 6. D. *ad munic.* l. 190. D. *de verb. signif.* ad quam ANDR. ALCIATUS commentatur, differri vocem ab orto in eo, quod illud dicatur respectu maiorum, *oriundus* vero, cum de propria origine dicatur, quod tamen non semper procedit cf. FORNER *ad l. cit.*

Pag. 40. vs. 1. et 2.

*Ollei respondet suavis sonus Egeriae
Mensas constituit, idemque ancilia primus
Libaque, fectores, Argeos, et Tutulatos.*

Ollei] Antiquis pro illi dictum, inde teste FESTO v. *Ollic* in Comitibus, quando Praeco citaret centuriam, *Olla Centuria* et in funeribus ducendis, *Ollus leto datus est*, et *Ollus exfertur*, dicebatur, VARRO *de LL.* VI. 3. p. m. 52.

Egeriae] Haec ICTis eo magis veneranda, quod ab ea leges accepisse Numa contendebat, vel simulabat tantum, cum ea enim Nympha nocturnos congressus habuisse, et ab ea imprimis instituta sacra accepisse perhibet LIVIUS l. 20. qui etiam idem refert, ancilia, quae erant scuta sacra, ab Numa originem habere aequae ac sacrificia et Pontifices, qua de re alio dicetur loco.

Lib. III.

Tarquiniū corpus bona femina lauit, et unxit.

Corpus lauit, et unxit.] Facile quis hic videt, de mortuo dici Tarquinio Rege Romanorum, quare etiam MERULA alium adhuc versum praeposuit p. XII.

Postumque tyrannēi

Iam corpus pro cadauere poni inter omnes constat, neque ICTIS potest esse ignotum, qui l. 39. 40. D. *de relig. corpus inferre, et condere* legunt. Vnum tamen adhuc locum afferam, qui huic rei inferuire potest, ex l. 14. §. 4. D. *eod. si quid ad corpus custodiendum, vel etiam commendandum factum sit impensae.* Sunt qui legere velint, *commundandum*, i. e. lauandum, quod verbum quidem vsurpatur in mundo muliebri l. 25. §. 10. D. *de aur. arg. legat.* sed sine causa, cum apud PAUL. *Sent. I. 21. 4.* et GRUT. *Inscript. p. DCVII.* corpora tantum ad tempus *alicui loco commendantur*, et deponuntur, item *collocantur*, ENN. *Andr. p. 241. vs. 7.* donec in sepulcrum inferri possunt l. 4. D. *de relig.* cf. CUIAC. *Obseru. II. 17. XI. 11.* quo etiam refer Legem Tab. MORTVO, DVM INTVS POSITVS ESCIT Tab. X. id est, nec dum domo elatus, et l. 18. §. 5. D. *de alim. et cib. legat. vbi corpus meum positum fuerit*, et quos CIC. *de LL. II. 22.* *conditos, locatos, sitos* appellat. Nihilo minus corpora mortua lauari et vngi solita esse, etiam antiquissimis temporibus, nemo negare potest. Quin ipse ENNIUS *Androm. p. 241. vs. 7.*

Puerumque vt laverunt.

Küstneri Chrest. Enn. I.

B

Quare

Quare SERVIVS ad VIRG. *Aen.* IV. *Lavare cadavera proximis concedebatur.* Deinde sequebatur unctio, quod indicat VIRGILIUS *Aen.* VI. 219.

Corpusque lauant frigentis, et vngunt.

qui locus imprimis rei funerariae inseruit, quare etiam Trimalcio apud PETRONIUM *Satyr.* c. 77. *Sticho servo unguentum, quo lauari ossa velit, proferri iubet,* indeque vnguenta inter impensas funeris refert, MACER l. 37. D. *de relig.* Quoniam vero hoc praecipue feruorum, et Pollinctorum familiae erat, quaeritur: qui sit, quod in Legibus XII. Tabul. SERVILIS VNCTVRA AVFERITOR et sublata sit, quod cum historia temporis sequentis pugnare videtur? Quae tamen pugna statim concidit, si probe animaduertimus, hic tantum prohiberi, ne feruorum corpora, non vero liberorum corpora per feruos vngantur.

pag. 56. vf. 3.

Prodinunt famulei, tum candida lumina lucent,

Prodinunt] Prodeunt vti FESTUS h. v. explicat; et *redinunt in patriam* ENN. p. 330. vf. 5.

Famulei] iidem qui serui sunt l. 1. 2. C. *de his, qui in eccl. manum.*

Lumina] quod IUVEN. *Sat.* III. 286. *lumen caudae* appellat, et ENNIUS *incert. Trag.* p. 297.

Quasi de suo lumine lumen accendat,

qua significatione etiam vtuntur l. 10. §. 3. D. *de aedil. edict. lumine adhibito,* et in l. 1. §. 10. *eod. de insp. ventre tria lumina* in conclavi, vbi mulier paritura sit, adesse debent, qua de re consule BYNCKERSHOECKIUM *Observ.* I. 14. vbi recte Florentinam lectionem [*unico lumine*] in l. 6. §. 5. D. *de offic. Praef.* defendit.

Pag.

Pag. ead. vs. 4.

*Proletariu' poplicitus scuteisque, feroque
Ornatur ferro; moeros, urbemque, forumque
Excubiis curat.*

In huic locum et particulam L. XII. Tab. I. PROLETARIO, CUIQVI VOLET, VINDEXT ESTO. Commentarii loco est GELLIUS N. A. XVI. 10. qui Iulium Paulum poetam inducit ita differentem: *Qui in plebe Romana tenuissimi pauperrimique erant, neque amplius, quam mille quingentum aeris in censum deferebant, proletarii appellati sunt; neque nisi in tumultu maximo scribebantur, proletariorum ordo honestior aliquanto et re, et nomine, quam capite censorum fuit, nam et asperis rei publicae temporibus, cum iuventutis inopia esset, in militiam tumultuariam legebantur, armaque iis sumtu publico praebebantur, et non capitis censione, sed prosperiori vocabulo a munere officioque prolis edendae appellati sunt, quod, cum re familiari parva minus possent rem publicam iuuare, sobolis tamen gignendae copia ciuitatem frequentarent.* Erant igitur cum capite census in vltima classe, et censu, quem deferebant, iis superiores, ipsisque, si in tumultu milites scribebantur, arma poplicitus h. e. de publico praebebantur. Interim, cum teste GELLIO l. c. res pecuniaque familiaris, obsidis vicem, pignorisque esse apud rem publicam videbatur, amorisque in patriam fides quaedam in ea firmamentumque erat. Qui in primis classibus erant, militiam subire debebant, hi vero excubias in vrbe habebant. Qui excubias agebant, apud vetustiores Rom. incendiis arcendis Triumuiris nocturnis, et deinde Praefecto vigilum suberant l. 1. D. de offic. praef. vigil. Cum vero proletarii essent tenerioris fortunae, quod et NONIUS II. 666. confirmat his verbis: *Proletarii ciues diceban-*

B 2

tur

tur, qui in plebe tenuissima erant, et non amplius, quam mille et quingentos aeris in censum deferebant, quisque facile videt, quare illis vindex admitteretur, qui vellet, cui quis enim ἀρχαικῶς pro quisquis dicitur.

Libr. eod. p. 57. vs. I.

Hasteis ansateis, concurrunt vndique teleis.

Hasteis ansateis] Quas iterum L. V. p. 64. repetit, per illas intelligo hastas, quibus ansa, vel ex ligno, vel ex filo adiecta est, vnde apud Ictos *ansam scypho iungere*, l. 7. §. 2. D. *ad exhib.*

Teleis.] Discernuntur hic ab hastis, cum tamen telorum appellatione omnia, ex quibus singuli homines nocere possunt, accipiantur l. 11. §. 1. D. *ad L. Iul. de vi publ.* vnde si fur SE TELO DEFENSIT ex LL. XII. Tab. II. omne, quod nocendi causa habetur, vti ferrum, et fustis et lapis significatur l. 54. §. 2. D. *de furtis.* Quid quod CAIUS l. 233. §. 2. D. *de verb. signif.* omne *telum* appellari dicit, quod ab arcu, et manu, et in longinquum mittitur, graeca voce figuratum ἀπὸ τῆς τηλε, i. e. ab eo, quod est longe, ideo magis hastam in se continet; sed, cum saepissime species cum genere coniungatur, nihil officit, quo minus subiiciamus vtrunque generi armorum, quod et l. 3. §. 2. D. *de vi et vi arm.* commonstrat his verbis: *Arma, sunt omnia tela, hoc est, et fustes, et lapides, non solum gladii, hastae, frameae, id est romphaeae.* Sed hic locus ENNII, GUTHERIUM *de offic. dom.* Aug. III. 17. mouit, vt, cum in inscriptione GRUTERI p. XCIX. 6. *uestigal Foriculiarii et Ansarii promercialium* legeret, hoc de uestigali armorum promercialium intelligeret, quod de frugum minutarum, vini, tritici, olei, quae res in culeis et vasis ansatis, quibus fruges venum exponebantur, pendendo

dendo

dendo explicandum. Cum enim amphora, teste veteri Glossario, utrinque duas ansas haberet, et ex doliis vinum diffunderetur, l. 38. D. *de iudic.* hae res si vendebantur, vectigali ansario erant subjecta, cuius sententiae auctoritatem praescripsit ipse BURMANNUS *de Vectig. Pop. Rom.* Cap. V. p. 73. sq. imprimis, quod vocem foricularii ad culeos, quos vino et mercibus adhibebant l. vlt. §. 1. D. *de pign. act.* et culearios FABRETT. *Inscript.* p. 152. referret. Et quanquam negare haud possum, hanc sententiam ea premi difficultate, quod non facile ex hoc epitheto vasis, scilicet ansis, vectigal nomen sit sortitum, nihilominus, cum magis idonea explicatio haud adsit, ab ea haud discedam, nisi coniectura quaedam admittatur, benignis iudicibus relinquenda. Primo vectigal in inscriptione indicari rerum promercialium extra omnem dubitationem est positum. Sed cum omnes inprimis haerent in FORICULIARIIS, quae vox sine dubio est corrupta, primo, quoniam, uti constat, res promercales, quae cibo potuque consumebantur, ad forum Macelli vendebant, et eiusmodi homines *marcellarii* teste SVETON. *Vesp.* 19. audiebant, quin *macelli vectigal* PLIN. *H. N.* XIX. 4. nominet, nisi paulo durius esset, facile emendassem FORI MACELLARI cum CULI et CEL facile poterunt confundi; Sed cum viderem BURMANNUM dicto loco valde inclinare in vocem *foricularii*, quod IUVENALIS *Sat.* III. 38. *eas, qui foricas conducunt*, avertit; et hos foricas, seu cloacas purgandas conduxisse, qua de re pluribus agit p. 199. et in eo aliquid conferre possit, quod et amphoras, s. ansata vasa in angiportis positas afferat, adeoque vectigal cloacarum et latrinarum subintelligi existimet; tamen, cum et ipse hanc coniecturam relinquat, et hoc genus inter promercialia nullum locum inveniat, re relicta nomina servanda existimaui. Et quidem *foricarios*, quos

BUDAEUS *ad h. l. fornicarios*, qui tabernas rerum venalium in foro, et ad fornicem, et arcum FABII CIC. *de Orat.* II. 66. a fisco conductas habent, non ineleganti coniectura profert, habet l. 17. §. 5. D. *de usur.* *Fiscus ex suis contractibus usuras non dat, sed accipit, ut solet a foricariis, qui tardius pecuniam inferunt, item ex vectigalibus.* Coniungit igitur foricarios cum iis, qui vectigal dum soluunt, si tardius pecuniam fisco inferunt, usuras soluere debent. Iam eos conductores foricarum et clocarum esse, valde dubito, ut potius eos a foro, in quo perpetuo, uti argentarii et foeneratores versabantur, ἀγοραίῃς et circumforaneos, dictos esse putem. Foricarii igitur Fisco pecunias fiscales et vectigalia pendebant. Huic legi adjiciamus l. 1. Tit. III. C. HERMOGEN. *de iure fisci: Si pro possessione T. Claudii vos debita fiscalia exsoluisse constat, vestram esse possessionem, notissimi iuris est. Ideo V. C. Proconsul, si partium vestrarum allegatione solutam ANSARIAM pro aliena re cognoscit. κ. τ. λ.* Habes igitur quoque debitum fiscale, *ansariam* s. *ansarium*, cuius rei causa bona fisco erant obligata; et IAC. CUIACIUS hoc vectigalis, idem esse, quod in Marmore, *ansarium*, incertae quidem originis dicit, *Observ.* XIV. 3. *et ad l. 203. D. de verb. signif.* Neque iniuria, nisi quis forte *angariam*, cognitum patrimoniorum onus, vellet emendare. Habes igitur foricarios et ansarios, qui debita fiscalia s. vectigalia fisco inferre debent, atque facili modo legas Vectigal FORICARII et ANSARII promercialium, h. e. vectigal in foro promercialium, quod Foricarii et ansarii pro certa mercede conducebant. Ceterum, quod paene omissem, vasa ansata *auertas* dici interpretes graecus, quem adducit BUD. *ad ff. l. 27. D. ad L. Cornel.* contendit: ἀβέρτα, τῆσι τὸ ὑπομόχαλον, ὅπερ ἐπιφέρονται κατὰ τῆ νώτῃ; ἔστι καὶ αὐτὸ ἐξήκοντα λίτρων· καλεῖται δὲ ἀβέρτα ἐκ τῆ ἀπεσφάφει. *Auertas,*
id

id est ferculum ansatum, quod ferunt in dorso. Est et ipsum sexaginta librarum, et ab auertendo nomen accepit, quocum conuenit l. 12. C. de curs. publ. sexaginta itidem auerta non transeat - - auerta fisci iuribus deputetur, qua in re, quanquam auerta ansis fuit instructa, ea tamen uti ex l. add. colligitur, non hominum, sed potius veredorum, et equorum publicorum onus erat, cum sc. haec cum fella et frenis coniungatur.

Libr. V. p. 60. vs. 3.

Dum quidem vnus homo Romae toga superescit.

Superescit.] Memoranda est hic flexio verbi escit pro erit, quod etiam in XII. Tab. l. V. et X. occurrit; SI MORBUS AEVITASQUE VITIVM ESCIT. CUI NEC HERES, NEC AGNATVS ESCIT. DVM POSITVSESCIT. Et hac ratione etiam Veteres Romani procedebant in aliis verbis, dum futuris, S. adiciebant, graecorum more, uti dicassit, pro dixerit, si falsum testimonium dicassit. Tab. VII. qui fruges excantassit. ead tabula, capsit. &c. cuiusmodi exempla in omnibus fere tabulis XII. Legum occurrunt, nisi quis hoc pro specie optatiui habere velit.

Libr. V. p. 61. vs. 2.

*Nec cauponanteis bellum, sed belligerantes;
Ferro, non auro, vitam cernamus utrique.*

Cauponanteis.] Non lucri causa bellum geramus, uti interdum fieri solet. Elegans igitur iuris verbum caupo, Tit. Nautae caupo &c. et cauponia taberna l. 13. D. de instr. vel instr. leg. ubi tamen iniusta plerumque lucella vsurpabantur.

Vtrique.] In plurali pro uterque, tum apud Auctores. cf. DUCKER de Latin. vet. Ictorum nota 10. p. 108. tum apud Iuris interpretes occurrere testatur l. 81. §. 8.

B 4

D. de

D. de legat. I. si utriusque vixerint, utriusque; si alter, alteri totum debetur: quemadmodum etiam accusantium pluralem utrosque l. 53. D. mandat. et ablativum adhibent l. 13. §. 4. D. de pign. et l. 14. eod. de iniusto, rupto.

Libro eod. pag. 63. vs. 2.

Iniicit irritatu' tenent, occasu' iuvat res

Occasus iuvat res.] Iniicit memoriam Leg. XII. Tab. et quidem primae, verbis SOL OCCASVS SUPREMA TEMPESTAS ESTO. Quanquam enim HESSELIUS occasum, pro occasione dictum putet, ego hic pro sole occidente poni existimem, quod temporibus antiquis, et LL. XII. Tab. teste PLINIO H. N. VII. 60. ortus tantum et occasus nominabatur et vox sol tacite intelligebatur GELL. N. A. XVII. 2. CENS. de die natali c. 24. et in hoc cum Pyrrho certamine, noctem proelium finisse EUTROPIUS Hist. Rom. II. c. 11. testatur.

Libr. VI. p. 65. vs. 3.

Considunt teeleis bipatentibus.

Bipatentibus.] SERV. ad VIRG. Aen. X. vs. 5. ostia bipatentia explicat, quae ab utraque parte aperiuntur, qui locus mihi in memoriam reuocavit *patamen* in l. 53. C. TH. de oper. publ. Lib. XV. Tit. I. ad quas nullus a platea aditus, atque egressus *patamen*. Ego legerem *patens* facili emendatione. Nam eiusmodi locum barbaro vocabulo *patamen* dici, non inuenio, et egressus adiectivum postulat.

Lib VII. p. 73. vs. 3.

*Qua Galli furtim noctu summa arcis adortei
Moenia, concubia, vigileisque repente cruentant.*

Moenia

*Moenia, concubia, vigileisque.] De muris supra p. 11. sq. iam dictum est, sed quid concubia inter haec et vigiles? concubia quae significant proprie, sine mea opera lectores sciunt, cum concubina inde nomen habeat; hic vero, nisi me fallit egregie animus, intelligo *excubias* analogia verbi ductus. Vti enim illi, dum non vigilant, concumbunt, excubant, et F E S T V S v. *procubitores* eos appellat. Igitur hi milites quatuor imprimis defendendae vel urbis, vel ducum, et Tribunorum causa erant, et excubias agebant, Triumuiro nocturno incendiis arcendis subsunt, et erat familia publica circa portas et muros disposita l. 1. D. *de offic. Vigil.* de qua supra p. 12 dictum, et tum recentioribus, tum antiquis temporibus cum vigiliis et vigilibus, qui imprimis noctu diuisis vicibus stationem obibant, cum reliqui cubabant, coniuncta, inde *cohors vigilum*, apud SENECA. *Natur. quaest. I.* et *Praefectus vigilum*, inde hic nihil aliud *concupia*, quam *excubiae* sunt.*

Lib. VII. p. 74. vs. 2. sq.

*Hocce locutu' vocat, qui cum bene saepe libenter
Mensam, sermonesque suos, rerumque suarum
Comiter impertit, magna quom lapsa diei,
Parte fuisse de parueis summeisque gerendeis
Consilio, endo foro lato, sanctoque senatu
Quoi res audacter magnas, parvasque, iocumque
Eloqueret, quae tincta maleis, et quae bona dictu
Evomeret, si quid vellet, tutoque locaret.
Qui cum multa volup, ac gaudia clamque, palamque
Ingenium, quoi nulla malum sententia suadet,
Vi faceret facinus, leuis tamen, haud malus; idem
Doctu', fidelis, suavis homo, facundus, suoque*

B 5

Con-

*Contentus, scitu' atque beatu', secunda loquens in
 Tempore, commodus, et verborum vir paucorum,
 Multa tenens antiqua sepulta, et saepe vetustas
 Quae facit, et mores, veteresque, novosque tenentem,
 Multorum veterum leges, diuimque, hominumque
 Prudentem, qui multa loquiue, tacereue posset
 Hunc inter pugnas compellat Servilius sic.*

Elegantissima profecto descriptio ICTI, et magistratus iuridici, qui, vti debet, rei publicae, ac priuatae, sibi, atque amicis inseruit: Non enim prorsus officiis publicis debemus esse ita obruti, atque tanquam sepulti, vt, praeter commentarios gestorum, quae *acta forensia* appellant, nihil aliud curemus, sed interdum et sermonibus familiaribus, et amicis vacemus, cum, quantum haec faciant ad animum acuendum, mores humanos cognoscendos et iudicandos, vix cogitari potest. Digna igitur haec forma GELLIO visa fuit, quam titulo, quo depingeretur, finireturque ingenium, comitasque hominis minoris erga amicum superiorem proderet, quod rubrum est *Cap. 4. Libr. XII. N. A. quos versus non minus frequenti, assiduoque memoratu dignos putabat, quam philosophorum de officiis decreta.* Sed quis ille sit, de quo agant hi versiculi, magna obscuritate premitur. GELLIUS quidem, l. c. hoc ENNIUM de semet ipso scripsisse L. AELII PHILONIS auctoritate confirmat, quod tamen a vero longius abest, cum eam iactantiam male ENNIO tribuas, qui tam excellentem picturam morum et ingenii de se ipso proponeret, ne dicam, hoc loco nostro haud conuenire, qui de Consulatu SERVILII circa annum 101. agit, cum ENNIUS teste CICERONE in *Bruto* 18. anno 10X. iam natus fuerit. Quid igitur? si vltimum versum sequamur: *Hunc inter pugnas, compellat Ser-*
vilius

vilius sic: MERULAE opinioni facile subscribo, qui hoc ad AURELIUM COTTAM, aut alium incertum dictum esse a Collega SERVILIO existimat. In quo magis pro AURELIO stat sententia, quod inter pugnandum maxima inter Coss. et Duces debet esse conuersatio, atque, quod raro occurrit, P. SERVILIUS GEMINUS et C. AURELIUS COTTA bis simul A. V. C. I^oII. et, I^oVI. Consulatu functi sint, quae coniectura si locum inueniret, inter ICTos clarissimos AURELII COTTAE titulum susponderemus, praesertim si: *Hocce locutus vocat*, h. l. *Cottam* legere possem, cum in confusione loci, de qua agit LIPS. *Antiqu. Lect.* II. 22. facile per transpositionem literarum hoc mutari poterat, atque sensus τῷ *vocat*, deficiat, quia nemo est, qui vocetur, et deinde vs. ultimo referatur et repetatur: *Hunc sc. COTTAM inter pugnas &c.*

Mensam.] Ne quis Germanismum redolere putet, cum quis mensam pro conuiuio dixerit, huius loci auctoritas certe impedit. Iam etiam hoc apud ICTos vsurpari docet THEOPH. *ad §. ult. I. de libert. per mensam*, ὅτε συνεστιαθῆναι ἐπὶ ἐλευθερίας δόσει προσέτατον τῷ οἰκέτῃ: *per mensam quando vna accumbere ad libertatis donationem imperabant seruo*, quod iisdem fere verbis repetit VETVS GLOSSARIUM *in Nomicis v. per mensam libertas*, atque CAIUS I. 1. 2. *per conuiuii adhibitionem* explicat. Sed de huius manumissionis vi atque potestate alio loco erit dicendi copia, interdum consulas MERRILL. *Observ.* VI. 20.

Impertit.] Vti *pārtiuit me*, participem me fecit ENN. *ex Telam* p. 223. vs. 8. actiue etiam sumitur a ICTis, vti *impertiri auxilium restit. in integrum* l. 18. D. *ex quib. caus. mai.* l. 2. C. *si adv. vendit. pign.*

Lapsa diei parte fuisse.] Alii e Codice VRSINI vti LIPSIVS *loc. cit.*

Magna

*Magna cum lassu' diei
Parte fuisset.*

nec male, cum commodiorem sensum habeat. *Fuuisse* autem antiquo more a verbo *fuo* deriuari, satis constat, quare etiam in Legibus XII Tab. SI QUID HORVM FVAT. *Summeisque gerendis.*] *Gerere, agere res* praecipue de magistratibus et iudicibus, quando negotia publica curant, dicitur, inde apud nostrum

Lib. XIII. p. 100. v. 1.

Olim cernebant magneis de rebus agendeis.

quare praecipue apud SVETONIUM *rerum actus* occurrit, de qua formula curate agit V. Doctiss. ERNESTI ad SVET. Claud. 15. cf. tit. C. TH. de agentibus in rebus VI. 27. et 28. quare non est, vt aliorum Codicum lectionem de finibus regundis sequamur.

Consilio, endo foro lato, sanctoque senatu.] In tribus modis laborabat Aurelii ingenium, quare merito quoque inter ICTos referre potest. Dicit enim ENNIUS lassum de rebus agendis consilio, in foro, et senatu, sermones miscuisse cum amico. Iam consilium, quantum video, pertinet ad id, quod consulentibus se daret, cum ICTi hac de re nomen adepti sint, atque apud Romanos in vsu positum erat, vt, qui lite premebantur, eos, qui de iure respondebant, adirent, eiusque sententias expeterent, quod proprie consulere dicebatur, vti POMPONIUS l. 2. §. 47. D. de orig. Iur. ait: *Consulentibus respondebant Iure Consulti*, vt sexcenta alia loca taceam. Sed et alia interpretatio duci potest ab eo, vel quod iudices in consilium cogebantur, indeque et magistratus *consilium exercere* dicebantur l. 2. D. de offic. eius, cui mand. iurisd. vel quod Iurisperiti a iudicibus in consilium adhibebantur, iisque

iisque adsunt, C I C. *pro Quict.* 1. 2. *aliisque locis*, et apud P L I N. *Epist.* VI. 15. vbi Iavolenus Ictus *adhibetur consiliis*. Qua ratione intelligendum esset, ac si iudicis officio functus, aut vti Iurisperitus iudicibus, vt consiliaretur, adfuerit. Quid *forum* sit, longius esset hic explicare, cum omnes sciant, praeter alias significationes, eam praesertim hic vsu venire, qua locus, vbi iudicia habentur, designatur. Quando igitur labores forenses hic afferuntur, sine dubio significatur, hunc virum oratorem et patronum caussarum fuisse, cuius officium maxime in foro cernebatur. Quam vero magnifica, et lata fuerint fora, et deinceps magis aucta et ornata, facile quis ex I U S T. L I P S. *de Magnit. Rom.* III. 7. cognoscet, vti etiam de illis quae caussarum patroni ex iuris arte in foris egerunt, commodiore loco dicemus. Vnicum addamus *τὸ endo*, priscis Romanis pro *in* adhiberi, quod praeter alia E N N I I *loca* p. 16. *endotuetur* p. 115. *endo marei* etiam *Leg. XII. Tab. III.* demonstrat *endo deposito*, *endo eo*, *endo vinculis*. Item de *Senatu* multum esset dicere, si omnem eius historiam, et vicissitudines vellemus persequi, quod tamen non est huius loci, et ab aliis, vti M A N U T I O, Z A M O S C I O aliisque in doctissimis *de Senatu Romano* commentariis occupatum est. Ceterum hunc Senatum largissimum fuisse campum, quo Oratores tanquam magistratus, et senatores in sententiis dicendis, Legibus commendandis, vel dissuadendis vires exercere suas possent, constat, vt et ab aliis auctoribus pari modo sanctum h. e. inuiolabilem senatum appellari videmus.

Doctu'.] Longius, quam par esset, ab instituto nostro recederemus, si omnia verba secundum eorum indolem explicare vellemus, quod potius Grammaticis relinquam, si modo hoc adiecerimus, ad interpretationem iuris cum maxime facere, si quis *antiqua sepulta*, et quae *vetustas facit mores, veteres, novosque, veteres leges teneat,*
atque

*atque diuinarum, humanarumque rerum prudens sit; cuius rei exemplum supra iam ex GELLIO N. A. XVI. 4. suppeditauimus, cum ius ciuile callens nesciret, quid esset assiduus et proletarius, quanquam in Legibus XII. Tab. legantur, quod IULIUS PAULUS antiqua volumina perscrutatus sine dubio haud ignorabat. Eo magis autem antiquae et veteres leges iuris perito sunt commendandae, quod ipsum Iuris corpus, iuris antiqui, praesertim LL. XII Tab. et quae eas secutae sunt, mentionem facit, l. 23. §. 6. D. de rei vindic. l. 1. D. de pet. hered. l. 2. §. 1. C. de const. pecun. §. 14. I. de hered. quae ab intest. porro l. 2. §. 20. D. ad SCt. Tertull. et l. 29. §. 2. D. de legat. II. Iam magnam partem Iuris Romani in moribus maiorum positam esse, satis constat, adeo, ut ipsis leges abrogarentur, quod plenius, et summa cum doctrina et acumine tractauit Vir satis satis cito functus IO. GODOFR. RICHTERUS *diss. de more maiorum*. Tandem *diuinarum et humanarum notitiam* appellari Iurisprudentiam, prima IUSTINIANI elementa §. 1. I. de iust. et iure docent, uti etiam in primis κατ' ἐξοχήν *prudentes* pro iuris consultis ponuntur l. 2. §. 5. D. de orig. iur. l. 36. D. de statul. l. 4. C. de Collat.*

Lib. VII. pag. 77. vs. 7.

Longique cupressei

Stant recteis foliis et amaro corpore buxum.

Cupressi.] Vox iniicit memoriam eius, quod in Iure nostro legitur, cum cupressus, quam in h. l. et adhuc alio pag. 135. v. *rectos capressos* masculino genere adhibet ENNIUS, inter non frugiferas numeretur, l. 16. §. 1. D. quod vi aut clam. Praeterea quoque in Codice occurrit *tit. de cupressis ex luco Daphnes, et Perseis per Aegyptum*

ptum' non excidendis, in cuius tituli l. 1. et 2. ARCADIVS Imp. prohibet, ne quis cupressos ex luco Daphnes Apollini sacro caederet, atque venderet, certa poena proposita, adeo cum olim Alytarcha, s. sacerdos vnam excideret, neque huic prorsus licitum esset, sed eius loco vnam libram auri de priuatis largitionibus acciperet. Ceterum causam legis ponunt in sanctitatem luci, atque locum ipsum, eiusque religionem ex NICEPHORO H. E. X. 28. satis docte explicant CAES. COSTA *Ambig. Iur. I. 5.* OTT. *Thes. Iur. T. IV.* et GUID. PANZIROLLUS *Thes. Var. Lect. II. 258.*

Amaro corpore.] Corpus, quin caput, ENNIO pag. 135. vs. 2.

Capitibus nutantes pinos

quoque de inanimatis, praesertim de arboribus a Poetis pariter ac ICTIS dici testatur l. 40. D. *de act. emti. Arborum, quae in fundo continentur, non est separatum corpus a fundo.* Praeterea nauem e cupresso factam *cupresseum* corpus appellat PAULUS l. 26. D. *acquir. rer. domin.* qui item alio in loco l. 45. §. 13. *eod. de iure fisci, cupressi materiam affert.*

Libro eod. pag. 79. vs. 5,

*Tollitur e medio sapientia, vei geritur res
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur
Haud docteis dicteis certanteis, sed male dicteis.
Miscent inter sese inimicitias agitanteis.
Non ex ioure manu confertum, sed magi' ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vei.*

Ad

Ad huius elegantis loci explicationem nihil potest esse accommodatius, quam si ipsas veterum auctorum interpretationes adiiciamus, quarum prima est apud CICE-
RONEM *Orat. pro Murena c. 14.* *Omnia ista nobis studia de manibus excutiuntur, simul atque aliquis motus novus bellicum canere coepit. Etenim, ut ait, ingeniosus poeta et auctor valde bonus, proeliis promulgatis pellitur e medio non solum ista vestra verbosa simulatio prudentiae, sed etiam ipsa illa domina rerum sapientia, vi geritur res, spernitur orator, non solum odiosus in dicendo, ac loquax, verum etiam bonus: horridus miles amatur. Vestrum vero studium totum iacet. Non ex iure manum confertum, sed mage ferro, inquit, rem repetunt. Quod si ita est, cedat, opinor, Sulpici, forum castris, otium militiae, stilus gladio, umbra soli, sit denique in civitate ea prima res, propter quam ipsa est civitas omnium princeps.*

Altera est apud

GELLIUM *Noct. Attic. XX. 10.*

ENNIUS significare volens, non, ut ad Praetorem solitum est, agi legitimis actionibus, neque ex iure manum confertum, sed bello, ferroque, et vera vi, atque solida. Quod videtur dixisse, conferens vim illam civilem, et festucariam, quae verbo diceretur, non quae manu fieret, cum vi bellica, et cruenta.

Sapientia.] Hanc describit CICERO dominam rerum, et verbosae simulataeque prudentiae opponit. Elegans epitheton, quo insignitur vera infucataque Iurisprudencia, quae plurimum apud homines valere debet, quemadmodum idem CICERO *Orat. II. 60.* naturam dominam nuncupat. Ceterum Iure Consultos, eorumque scientiam, *sapientum, et sapientiae* nomine expresse dici memo-

memo-

memorandum est, qua ratione *sapientiam civilem*, pro *iuris scientia* adhibet VLPPIANUS l. 1. §. 5. D. de *extraord. cognit.* et teste POMPONIO l. 2. §. 37. et 38. D. de *orig. Iur.* SEMPRONIUM ICTum Pop. Rom. σοφόν, i. e. *sapientem appellavit*, et P. ATILIUS vel potius ACILIUS ob *maximam scientiam in profitendo*, *primus a populo sapiens appellatus est*, quod etiam CICERO in *Laelio* 2. L. *Acilius sapiens appellabatur*, quia *prudens erat in iure civili*, et M. Cato, cuius, et in *senatu*, et in *foro responsa acute ferebantur*.

Orator bonus.] Vocabula iuris sunt, *orare*, *adorare*, *perorare*, *res inorata*, h. e. de qua orare non licuit, ENN. *Achill.* p. 219. vs. 2. vti recentiores ICTi dicunt *caussa inaudita*. l. 1. D. de *requir. et orator*. Ita enim in *LL. XII. Tab.* et quidem I. ENDO VIA REM, VTI PAICVNT, ORATO, CVM PERORANT. et *Tab. II. FVRTI NE ADORATO*, legitur, quemadmodum in loco CIC. *pro Murena* adducto pro *Causarum patrono*, qui *doctis dictis certat*, sumitur, quam significationem etiam IUSTINIANUS adhibet in *praef. Dig. omnem reip.* §. 2. et 6. cum *legum oratores*, et *oratores maximos* appellat. Quin etiam ICTos hoc nomine venire, testatur PAULUS l. 2. D. de *vsurpat. et vsuc.* *Oratores vsurpationem frequentem vsu vocant.* Iam nisi multum valeret CICERONIS, et GELLII auctoritas, qui hic forenses orationes cum *bellicis clamoribus comparari statuunt*, facile hic *persuadere me passus essem*, conferri inter se bellum a *Feciali indictum*, et quod a vi incipit, inprimis, si in interpretationis auxilium adhibeam VARRONEM apud NONNIUM XII. 43: *Romani nullum bellum, nisi pium, putabant geri oportere*, et priusquam *indicerent bellum iis*, a quibus *iniurias factas sciebant*, *Feciales legatos repetitum mittebant quatuor*, quos *Oratores vocabant*. Habes ergo *Oratorem*, i. e. *Fecialem*, de quo ENNIUS *Lib. V, Annal.*

nal. p. 60. Orator sine pace redit, rēgique refert rem. qui rem repetunt, quae fezialiū teste LIVIO l. 31. in bello indicendo solennis formula est, quemadmodum de Feziali, eiusque solennibus pro more docte et eleganter Vir Illustris RITTERUS Praeceptor optimus in dissert. de fezialibus Pop. Rom. egit. Sed mutavi sententiam, ex quo voces sapientia, et ex iure manum confertum, veterum auctorum opinionem confirmabant.

Non ex iure manū confertum.] Vti vero conferere manum eum hoste dicimus VARRO de LL. V. 7. sic ex iure manū confertum vocamus. Fuit autem solennis formula in primis in causa possessionis praesentanae, vti Practici dicunt, aut recentis, qua vi ciuili, et ad imitationem belli in iudicio de possessione certabant, aut, vti solenne verbum est, vindicabant, et vti in LL. XII. Tab. scriptum est: SI QVIN IURE MANVM CONSERVNT, SECVNDVM EVM, QVI POSSIDET iudicabant magistratus. Sed cum totam rem, optime explicarunt CICERO pro Mur. c. II. et GELLIUS loc. add. commodior dicendi locus erit, si secundum ordinem nobis praescriptum ad haec loca peruenerimus, ne reliquis ENNI locis illustrandis copiam adimamus, vtiq̄ue interim eos, qui hunc ritum curatius velint cognoscere, ad BRISS. de Form. V. 21. p. m. 354 mittimus.

Rem repetunt.] Quid in feziali disciplina sit, tum supra, tum aliis in locis sermo fit. Sed hic sine dubio iuris sensus locum inuenit, quo pro condicere atque vindicare vfurpatur. Rem enim pro lite atque causa dici, supra ex Tab. I. Legum Romanarum cognouimus: REM ORATO. Quare etiam ICTI apud CIC. pro Mur. 12. dubitabant, an rem aut litem dicere debebant, et AVSON. Technop. Idyll, V. 148.

Imperium, litem, Venerem, cur vna notat res?

ait,

ait, quare etiam Iuris auctores afferunt *rem inofficiosi ordinatam* l. 8. §. 1. D. de inoffic. et in l. 22. §. 8. eod. *ratam rem. hab. si procurator iudicium de hereditate ediderit, deinde dominus fundum ex ea hereditate petierit, stipulatio ratam rem haberi committetur, quia, si verus procurator fuisset, exceptio rei iudicatae dominum summoueret.* Quibus in locis omnibus, *res inofficiosi, res rata, et iudicata*, nihil aliud quam causam et litem indicat. Porro *repetere rem*, idem significare, quod *petere, condicere*, multis exemplis posset palam fieri, de quibus modo pauca afferamus e libris Iuris. Sic in l. 3 §. 5. D. de *condict. caus. dat. liber probatus, an mihi condicere possit, quaeritur*; et IULIANUS Libro XI. Digestorum scribit, *competere manumisso repetitionem*; NERATIUS etiam libro *Membranarum refert: Paridem Pantomimum a Domitia Neronis filia decem, quae ei pro libertate dederat, repetisse per iudicem.* Iam in l. 3. §. 2. D. de *transact. Septicius pecuniam, quae Maevio, ut heredi, a debitore numerata est, conditione repetit*, et in l. 13. C. ad L. Iul. de *adult. quomodo repetere potes cum effectu quasi sponsa?*

Libro eod. p. 83. vs. 3.

*Atque atque accedit moeros Romana iuuentus,
Et detotondit agros laetos, atque oppida cepit.*

Atque atque.] Hoc mentionem iniicit primi capituli LL. Decemuiralium, *SIN IVS VOCAT QVEAT*, quo omnes fere interpretes illud pro *statim* explicant, ducti imprimis auctoritate GELL. N. A. X. 29. et NON. XII. 44. cf. GEBH. Crep. I. 9. Sed etiam alio sensu apud ICTOS occurrit, l. 61. pr. D. de *administr. et peric. tul. Similiter atque ipse pupillus &c. i. e. similiter ac si.* Cum igitur animo perpendo, in illa particula deficere consequens, et tres visio-

nes commemorari, quando vocatus eat, antestari se stat, atque tandem caluitur, facile inducor ad credendum, etiam h. l. nihil aliud indici, quam vocem ac si, quoniam nullo in loco inueni, reum concitato cursu sequi debere, inprimis cum, si ipsi secundum eandem Tab. vindex esset, mittebatur, et, vt in iudicium veniret statim, opus haud habebat; sed potius primus casus est, quando eat, tunc sine dubio, quod paucis interiectis legitur, consequens fuit: CAUSAM CONSCITO. Qua in opinione eo magis confirmor, quod GELL. et NON. docti et curati LL. Tab. Interpretes hoc exemplum sine dubio suae interpretationi adiecissent, si eam significationem haberet. Sed huic coniecturae tantum haud tribuo, vt non etiam in alteram sententiam facile pedibus eam:

Pag. 84. vs. 3.

*Rastros dente fabres capsit caussa poliendi
Agri*

Rastros dente fabres] Omnes in eo consentiunt interpretes, hic dici a Poeta nostro, quod VIRGIL. Georg. I. 508. ait:

Et curvae rigidum falces conflantur in enses.

Non igitur displicet emendatio HESSELI, vel potius TURNEBI Advers. XXIX. 19. qui voces *dente fabres*, coniungit in *dentefabros*, h. e. dente fabricatos, aut fabricatos; sed quid hoc sit, haud docet, reiecta ceterum V. Cel. IUST. LIPS. Epist. quaest. I. 19. lectione deinde *Fabric* more ENNII vsitato, pro *Fabricius*. Iam, nisi nos omnia fallunt, hic *rastra* falcata et incurva intelligimus, quoniam dentes adduntur falcibus, vti apud COLUMELLAM de R. R. II. 21. *denticulatae falces*, et apud VIRGILIUM Georg. II. 406.

Et

*Et curuo Saturni dente relictam
Persequitur vitem.*

Sed iam quid faciamus cum *dente* *Leg. XII. Tab. X.* vbi lecto AVRO DENTES VINCTI ESCINT, an forte hoc ex loco aliquid lucis affundi potest? Id quidem haud video, vt potius, dentes aureos lecto vinctos, putarem, esse explicandos ex VITRUVII libro *de Archit. I. 2. si doricis epistylis in coronis denticuli sculpentur.* Itaque nihil aliud esse, quam si lecto ornamenta aurea formam dentis habentia vincta essent. Sed nolumus LL. aureas Decemvirorum de manibus mittere, cum in voce

Capsit.] nobis occasio dicendi praebeatur. Capere enim antiquis Romanis ita flecti extra dubitationem est, cum in add. legibus *Tab. II. de fure diurno, SIM ALIQUIS ENDO IPSO CAPSIT* et *Tab. IX. de iudice, qui PECUNIAM ACEPSIT*, legitur. Si igitur hoc in loco naturali significatione vocem fumis, nihil obstat. Sed, cum apud Poetam aliquid sublimius postulant, MERULA mavult *rasit*, et LIPSIVS *Quaest. Epist. V. 19. carpsit.* Qua in re MERULAE liber vetustus, qui ita locum exprimit, eum adiuuat. Sed fortasse hic coniectura locum inueniret, quae ex *Legibus XII. Tab.* duceretur emendans, *farpsit*: TIGNA QVANDOQVE SARPTA, aiunt Decemviri, h. e. quando purgata ferra, ascia, et instrumentis fabri, aedibus conficiendis accommodata, quid igitur? si rastra etiam falcata sarpta, et ab immunditia purgata, vti LL. XII. Tab, dicunt *Tab. X. ROGVM ASCIA NE POLITO*, existimemus, cum praefertim *farpere*, vti in tigno tanquam duriore, et *carpere* in teneriore materia adhibetur.

Poliendi agri.] Agros bene excultos politos dici, non solum ex hoc, sed etiam ex alio ENNII loco *Satyr. p. 188. vs. 1.*

Latei campei, quos gerit Africa terra politos.

apparet, cui etiam adstipulatur VARRO *de R. R. III. 2. politus cultura fundus* cf. GEBH. *Ant. Lect. II. 10.* At etiam in legibus, an admittatur haec vox, disputationi ansam dabit. Age l. 52. §. 2. D. *pro socio.* CELSUS *Lib. VII. Digestorum* ita scripsit: *Socios inter se dolum, et culpam praestare oportet, si in coeunda societate, artem operamve pollicitus est alter, veluti, cum pecus in commune pascendum, aut agrum politori damus in commune quaerendis fructibus, nimirum ibi etiam culpa praestanda est: pretium enim operae artis est velamentum. Quod si rei communi socius nocuit, magis admittit, culpam quoque venire.* Taurelliana editio *politori* prae se fert, cum Haloandrina *pollicitori*, vulgatae, *pollicitori* habent, e quibus prima omnibus sane praefenda, quod alterae sine dubio vocem insuetam, ex antecedente verbo *pollicitus* commutarunt. Quod imprimis probavit, et auctoritatibus confirmavit ANT. AUGUSTINUS *Emend. IV. 9.* OTT. THES. *T. IV.* Sed haec defensio non placuit V. *Celeberrimo* CORN. BYNCKERSHOEKIO *Observo. Iur. II. 9.* qui, quanquam admittit agrum poliri posse, tamen politorem pro agricola haud legi, existimat et reiecta litera *p. olitori*, qui olera serit, et vendit, emendat. In quo tamen, si quid video, AUGUSTINO magis assentio. Nam cum in add. lege requiratur, ut socius operam praestet in excolendo agro, et augendis fructibus, plus inesse debet voci politori, quam agricolae, i. e. ut poliat, excolat, et instruat agrum, ita sane nihil difficultatis inuenio, quare, quod voci polire, et politum tribuitur, politori denegetur. Maneat igitur illaesa Florentina lectio, nisi forte leuissima coniectura velles emendare *polititioni*, quod in Basilicis hoc verbum exprimatur *ἰς ἐργάσαι*. Datus est igitur ager, ut poliatur, atque in melius excolatur: et praeterea NONIUS I. 339. *politiones agrorum per cultus diligentes explicat, et tandem*

dema

dem idem locus CELSI, vti videtur, ab VLPIANO, l. 9. §. 5. D. locati ita exprimitur: *Celsus etiam imperitiam culpa adnumerandam libro VIII. Digestorum scripsit, se quis vitulos pascendos, vel sarcendum quid, poliendumve conduxit, culpam eum praestare debere, et quod imperitia peccavit, culpam esse, quippe, vt artifex, inquit, conduxit, in quo tamen haud inficias eo, Graecos commentatores hanc politionem magis ad fullones, qui vestes poliunt, transferre videri.*

Lib. IX, p. 89. vs. 3.

Libertatemque vt perpetuitassint quam maxime.

Perpetuitassint.] Ex quo loco defendendae sunt ICTorum actiones, quae perpetuantur. Vti enim in eorum schola aliae erant *temporales*, et annuae, quae plerumque ex edicto Praetoris ortum trahebant; aliae erant *perpetuae*, quae longius durabant, vt rei persecutoriae, sed interdum illae, et poenales actiones perpetuantur, h. e. praeter statutum tempus continuantur, et inprimis Litis contestatione: l. vlt. §. vlt. D. de fideiuss. et nomin. l. 9. §. 3. D. de iurei. item per obligationem precum, et ad eas rescriptionem l. 2. C. quando libell. vti etiam reus principalis facto suo perpetuat obligationem l. 58. §. 1. D. de fideiuss. Sed, quid sit libertatem perpetuitare, quae natura sua non reuocabitur, atque adepta, tempore non erat circumscripta, nescio, nisi quis ad id transferre velit, quod ICTi nostri appellitant, quando *libertatis aestimatio infinita est, et ad infinitum extenditur* l. 176. §. 1. D. de reg. Iur. et l. 8. §. 2. D. rat. rem hab.

Ibidem vs. 4.

*Additur Orator Corneliu' suauiloquenti
Ore Cethegus Marcu' Tuditano collega,*

C 4

Filius

*Filius is dictus olleis popularibus, olim
 Qui tum vivebant homines, atque aeuum agitabant,
 Flos delibatus populi, Suadaeque medulla.*

Orator Cornelius Cethegus.] Hic Cornelius Cethegus teste CICERONE *Bruto* 15. qui in h. l. commentatur vnus ex eloquentissimis fuit, quem ENNIUS ipse audiuit, quemque inter ICTOS eo minus referre dubitamus, quod apud Romanos imprimis in foro eloquentia clarescebat, atque Cethegus orator dicitur, qui patronus causae est, vti supra p. 33. sq. demonstratum est. Excellentem vero fuisse oratorem, significant cognomina: Flos populi, Suadaeque medulla, et Suadam Deam persuasionis fuisse existimabant; et cum maxime oratione persuaderi debeant iudices, ego per persuadendi medullam nihil aliud intelligo, quam omnem vim persuadendi, atque quasi ipsam Deam suadam fuisse, vti SVIDAS μέλιτος μυελός, omnium dulcissimum et suauissimum appellat.

Olleis popularibus.] Olleis pro illis dici notum est. Sed populares sunt, qui ex eodem populo sunt, quod etiam ICTI nostri confirmant; inde *mulier populari meo dotem dederat*, l. 70. D. de verb. oblig. *Duumuir vocibus popularibus postulatus* l. 12. D. de appellat. Inde ortae actiones populares, vbi quis, quasi vnus ex populo, agit l. 43. §. 2. D. de procurat. quae cuique ex populo, cui per edictum postulare licet, datur l. 4. D. de popul. act. quae suum ius populi tuetur l. 1. eod. inde *populare iudicium* l. 7. pr. D. de iurisd. quae, qualesque fuerint actiones, in omnibus fere Iuris compendiis proponitur.

Lib. XI. p. 97. vs. 1.

Pendent peniculamenta vnum ad quemque pedum.

Locum

Locum hic inuenit versus, quod IOSEPHUS SCALIGER in *Castigationibus* ad MURETUM loco *pedum* legit *pedule*, atque hoc intelligi velit de pedulibus, quae teste FRONTONE de *propr. lat. serm.* p. 1330. edit. GOTHOFR. *sub pedibus praestant utilitatem*, quae lectio confirmatur loco VLPIANI l. 25. §. 4. D. *aur. arg. leg.* qui *fasciae crurales*, ait, *pedulesque, et impilia vestis loco sunt, quia partem corporis vestiunt*. Sed non opus videtur hac coniectura, quod peniculamenta pendent vsque ad pedem, et commodum sensum habent, vt apud VIRGIL. *Aen.* I. 408.

Pedes vestis defluxit ad imos.

quare etiam SCALIGER v. *unum* in *imum* conuertere amat. Iam vero, quid peniculamentum sit, vis doceri? Idem SCALIGER tractas vestium lacinias intelligit, sed mallet hic sumi vestimentum, et quidem penulam, cuius diminutiuum *penicula*, et vti vestimentum, paludamentum, ita *peniculamentum* et apud LUCIL *Sat.* XIX. 6. audit. Cuius rei rationes subduco eo, quod penula, quae vestis est ex crassiori lana confecta in itinere, frigoris et pluuiae causa adhibita, de cuius vsu curate egit, CUI. *Observ.* XII. 39. et IAC. GOTHOFR. *ad Cod. Theod.* XIV. 10. l. 1. *de habitu, quo vti oportet*; et ibi adductus IO. BAPT. DONIUS in *dissert. de vtraque penula*, et quae auctore VLPIANO l. 23. D. *de aur. arg. legat.* inter *communia vestimenta, quibus promiscue vtitur mulier cum viro*, refertur, et reliquum pedem pertegit. VARR. apud NON. VI. 3. Iam vero, cum hic apud ENNIUM sermo sit breui ante:

Sic mulier erubuit ceu lacte, et purpura mista.

quis dubitat, eius vestimentum, et penulam ad pedes defluxisse.

C 5

Libr.

Lib. XII. p. 100. vf. 2.

Ob Romam noctu legiones ducere coepit.

Ob Romam] Circa Romam ducere, vti in *LL. XII. Tab. OB PORTAM OBVAGVLATVM ITO.*

Lib. XV. pag. 109. vf. 1.

Malos defindunt, fiunt tabulata, falaeque.

Malos] Vti hic poetica ratione pro arboribus in vsum malorum caesis ponit ENNIUS, ita auctores Iuris vice versa *arbores κατ' ἐξοχήν* pro *maïs* ponunt, in l. 3. 5. §. 1. et 6. D. *de lege Rhodia.*

Defindunt.] Vti *defindere*, et *insindere* l. vlt. D. *de iur. immunit.* ita *Leges XII. Tab.* iubent diem iudicii esse *diffisum*, quando quis contra promissum se sistere adversa valetudine prohibetur l. 2. §. 3. D. *si quis caut.* h. e. in alium diem res reiicitur, quare recte hanc lectionem Florentinam defendunt POLITIAN, *Miscell. c. 41.* CUIAC. *Observ. XII. 18.* aliique contra opinionem BUDAEI *ad h. l.* et BROD. *Misc. X. 6.* qui lectionem aliorum Cod. *diffusum* defendunt.

De tabulatis et falis, vbi sine dubio remiges sedebant, cf. SCHEFFERUM *de re nauali.*

Lib. XVI. pag. ead. vf. 3.

Cum cava sub montem late specus intus patebat.

Sub montem] *Sub* vti hic cum accusatiuo coniungitur, ita etiam in Iure occurrit, ita, vt plerumque significatum *circa*, *ad*, *ante*, contineat. Est enim in l. 38. §. 11. D. *de aedil. edicto: Sub tempus venditionis, h. e. biduo*

biduo ante venditionem, et in l. vlt, §. 6. eod. quae in fraud. credit. sub tempus messis.

Eod. Lib. p. 110. vs. 3.

Navorum imperium servare est insuperantum.

Navorum] Idem verbum ENNIO est *Libr. VI. Anal. pag. 70. vs. 1.*

Navu' repertus homo, Graio patre, Graius homo Rex.

quod FESTUS v. *navus, per celerem, et strenuum, a navium velocitate explicat.* Sed potius hic explicatio prudentis et diligentis viri admittenda est, uti in l. 23. C. THEOD. VI. 27. *de agent. in rebus: naviter servanda et custodienda sunt.*

Insuperantum] Defendenda lectio contra emendationem *induperantum*, cum, qui omnes superant, inter suos regnant, quod etiam de composito dici potest, atque interdum duas praepositiones cumulari, res in aprico est, adeo, ut etiam apud Ictos *superinductio, superindictio et superimponere*, l. 1. §. 1. D. *de his, quae in testam. rubr. C. de superind. et l. 7. C. de relig.* in qua praeterea et *superaddere* est, occurrat.

Libr. XVI. pag. 112. vs. 1.

Qui clamor oppugnantis vagore volantei.

Cui coniungimus e Lib. VIII. p. 82. vs. 3.

Clamor ad coelum voluendu' per aethera vagit.

Vagor et vagire.] Proprie quidem de infantibus, eorumque clamore dicitur; sed hic advertitur de vehementi et excitato clamore, qui ad coelum penetrat, atque
etiam

etiam in iure locum inuenit. *Vagulatio* enim, quae sine dubio a *vagari*, vt deminutiuum descendit, in *Lege XII. Tab. CVI TESTIMONIUM DEFVERIT, IS TERTIIS DIEBUS OB PORTVM OBVAGVLATVM ITO*, significat quaestionem cum conuitio, *FESTUS v. Vagulatio. Conuicium* autem nihil aliud est, quam *conuocium*, *PHAEDR. l. 6. 6.* vbi clamor, et conuitium ranarum non differunt et *CIC. pro Arch. 6. conuitium fori. Vti siue unus, siue plures dixerint quod in coetu dictum est, conuicium est, quod autem non in coetu, nec vociferatione dicitur, conuicium non proprie dicitur, l. 15. §. 11. D. de iniur.* Ergo, qui testes quaerit circa aedes, et loca consueta, magna vociferatione et excitatione clamore testes citat. Cum enim interdum, vt in tumultu exorto, testes nomine compellare haud poterat, publicis in locis citabat, eosque quaerebat, eoque magis inueniebat, quod is, qui testimonium dolose recusaret, improbus, intestabilisque ex his legibus esset.

Libr. XVII. p. 116. vs. 2.

Si lucei, si nox, si mox, si iam data sit frux.

Si nox] Dicitur pro *noctu* antiquis, quod comprobant *LL. XII. Tab.* quae est in *Tab. II. SI NOX FVRTVM FAXIT*; et *Tab. VII. QVI FRVGEM ARATRO QVAESITAM FVRTIM NOX PAVIT SECVITVE.*

Frux.] Etiam in singulari vsurpari satis constat, vti *homo frugi*, et *seruus frugi* *CIC. Tusc. Quaest. III, 8.* et *pro Cluent. c. 16.* et *l. 11. D. de peric. et comm. rei vend. l. 9. §. 1. D. de serv. corrupt.* Sed etiam pro *frugibus* poni, *Lex supra citata v. FRVGEM QVAESITAM*, et *l. 77. D. de verb. signif.* docet. Iam apud *ICTOS* vario sensu

sensu accipi *fruges* notum est. Et quidem sensu, ut ita dicam, natiuo dici de *proventu*, qui satione percipitur, coniicio ex adducto loco, in quo frux aratro quaeritur, depalcitur, et secatur, quam ob rem LAURENTIUS VALLA *Eleg. IV. 25.* hanc significationem propriam censet, atque carpit ICTOS, qui etiam de aliis, quam, qui satione percipiuntur, fructibus intelligunt, quos tamen recte defendit praeter alios *Auct. Defens. vet. ICTorum apud DUCKER de Latin. vet. ICTorum p. 312. sq. et CL. SALMASIUS ad Solinum p. 208.* Sed uti vox *frugi* a *fruur* originem suam repetit teste DONATO ad TERENT. *Eun. IV. 7.* quod his frugibus fruamur, ita hac voce ICTI omnem redditum ex agris, vineis, siluis, et lapidicinis significabant, ita tamen, ut iis carnem, aues, ferasue, aut poma contineri negabat IULIANUS l. 77. D. *de verb. signif.* in quo conuenit CICERO *de Off. II. 3.* *Neque enim frugum, fructuumque reliquorum perceptio sine opera hominum vlla esse potest.* Hoc itaque tanquam genere posito, *fruges κατ' ἐξοχὴν* frumenta et legumina continent, et tanquam species subiectas habent, quare PAULUS *Sent. III. 6. 78.* *Frugibus legatis, ait, tam legumina, quam hordeum et triticum, continentur,* quod et PLINIUS *H. N. XVIII. 7.* comprobatur; *duo sunt prima frugum genera, frumenta &c. et legumina.* Sed interdum frugum dominium, ut ita dicam, respuit frumentum, et separatum a frugibus genus constituit l. 12. §. 1. D. *de usu et habit.* et in eo differt, quod frumentum *arista se tenet.* l. d. 77. *quin in herbis sit.* l. 78. §. 3. D. *de contr. emt.* *fruges vero, ad legumina, et quae siliqua continentur, referuntur.*

Ex incertis Libris, p. 120. vs. 4.

Sicuti, si quis ferat vas vinei dimidiatum,

Vas vini dimidiatum.] Quasi diceret apud nos:
ein

ein halb Stück Faß Wein. Sed tantum absit, vt ENNIUS hoc significet, cum nemo sit magnis ossibus, laertisque, qui ferat hoc, at *vasa* inprimis dici, cum certam mensuram capiant, atque vino inseruiant, ex legibus, praesertim ex l. 6. §. 4. D. de act. emt. l. 19. §. 10. eod. de aur. arg. legat. aliisque fatis constat, quemadmodum ex hoc loco latinitas ICTorum commonstratur, qui *dimidiatas noctes* habent. l. 8. D. de fer.

Ex iisd. pag. 126. vs. 1.

Forum, Putealque Libonis,

Mandabam siccis, adimam cantare seueris.

Forum Putealque Libonis] Iniurius essem in lectores, si multis verbis eos, quid forum esset, docere vellem, vt potius ex FESTI loco tantum apponam: *Primo negotiationis locus - alio, in quo iudicia fieri, cum populo agi, conciones haberi solent; vti etiam venditiones in eo fiebant, inprimis vero iuri dicundo locus destinatus erat, quemadmodum, qui rem maiori cura traditam velit percipere, Antiquarios Romanos, vt DONATUM in Roma veteri, ROSINUM in Antiquit. LIPS. de Magnitud. Rom. et FR. POLLETUM in Foro Romano adeat. Sed quid puteal Libonis, fortasse quibusdam incognitum esset, nisi doctissimas dissertationes CHPH. LVDOV. CRELLII Wueb. 1729. editam et FRANC. COR. CONRADI Vir Doctiss. in Parergis Libr. III. p. 326. hac de re perlegerit, e quibus tantum specimen addere licebit. Iam puteal proprie, quo puteum operitur, esse ex l. 13. §. 31. et l. 14. D. de act. emti patet, et quasi partem aedium esse, vel propter aedes haberi, solemus dicere d. l. Sed an differant ab iis, facile quis eo posset commoueri, qui ex BUDAEI emendatione loco putea in l. 17. §. 8. eod. *Castella plumbea, puteal, opercula puteorum, aedium esse**

esse constat, legere velit, cui in auxilium venit GLOSSAR. PETRONII, quod personas, ex quorum rostris, aut alia corporis parte aqua salire solet, *putealia* appellari contendit; sed tantum absit, ut a recepta lectione *putea* discedamus, siue cum CORN. BYNCKERSHOEKIO *Obseru. V. 9. butea* vel *butia*, quae cupas vel cupellas denotant, voce graeca legamus. Nam dicit castella plumbea, in quae per fistulas aqua ducebatur, quarum confectores *plumbarii* audiebant, l. vlt. D. *de iur. immunit.* Deinde *putea*, siue *puteos*, aut si hoc ad castella referas, castella *putealia*, in quibus *putealis et perennis aqua*, quae non duci potest, l. 1. §. 6. D. *de aquaed. quot.* fluebat, seruabatur, et tandem opercula *pluteorum* s. *putealia, aedium sunt.* Sed redeamus ad Libonis *puteal*, quod, uti reliqua, si in publico essent, erat locus, fulgure tactus et opertus, quem calcare nefas erat; et cum FESTIV. *Scribonius* auctoritate, huic a Senatu negotium datum esset, ut conquireret *facella* attacta, Libo de gente *Scribonia* in porticu *Iulia* ad arcum *Fabianum* fulgur condidit, *putealque* exstruxit; in quo tamen monendus est lector, ne existimet, plane opertum fuisse locum, cum idem *FESTUS* statuatur, *nefas esse intelligi, quod semper foramine ibi aperto coelum patet*, quoniam ab omni parte tantum munitum, et lapide circumscriptum erat, ut fieret locus religiosus, ex quo ambigitur, an *putealia aedium* non eiusdem, qua publica, formae fuerint. Sed si nummos, quibus *puteal* impositum est, inspicias, nihil nisi aram cum insignibus quibusdam inuenies, quae ad *puteal* esset posita, et dein omnis locus, in quo erat, *puteal* dictus fuit. Iam in eo, an ex *PORPHYRII* et *ACRONIS* in *Hor. Sat. II. 6. 35.* mente sedes praetoris, eiusque tribunal fuerit, quod Libo hoc in loco primus posuit, quod negat *CONRADI l. c.* quia in ara non possit tribunal esse, quaeritur, quae quidem ratio me non moueret, cum ad aram, siue in reliqua

qua

qua parte putealis poni poterat, nisi existimarem, quod prope ad hunc locum in curia Iulia, eiusque porticibus, et foro magno ius dicerent Praetores, et puteal haud procul abesset, hoc pro iudicii loco sumtum, pari ratione, qua Ianus pro tabernis negotiatorum dicebatur, vti etiam puteal hoc a foeneratoribus cum maxime frequentabatur. CIC. *pro Sext. c. 8.* et ACRON. *loc. cit.* Sed, quaeso, cur ENNIUS forum putealque

Mandabat siccis?] Relegat ENNIUS pater bene potus *siccus*, h. e. sitire volentes, in forum, quare etiam *siccis* opponit CICERO *Agrar. l. 1. vinolentos*, et HORATIUS *loc. cit.* vti *severi* iudices sunt; CICERO *in Caec. 3.*

Pag. 128. vs. 1.

Egregie cordatus homo, Catus Aelii Sextus.

Egregie cordatus homo] Maxima laus, vti enim *egregius* per se dignitatem quandam affert, vti *egregia fides in rempubl. l. 1. D. de censibus, egregiae personae l. 15. D. de iurei.* ita adhuc augetur, si sit *egregie cordatus*, quod nomen tum ad fidem et honestatem, tum ad sapientiam referri potest, quae cum, vti supra p. 32. sq. demonstraui, ICTis propria sit, etiam hic denotari existimo, quod sapientiae sedes antiquis cor esset; atque P. Cornelius Scipio Nasica P. Filius ob sapientiam *corculum* dictus sit. CIC. *Brut. 20. et 28.* neque hominis vox quenquam offendat, quin etiam viros bonos et Reges apud Rom. hoc nomine v. c. *hominem frugi* CIC. *Tusc. III. 8.* et ENN. *Ann. VI. p. 70. vs. 1.* affici sciat.

Catus Aelius Sextus.] Vir celeberrimus, qui inter ICTos primas fert. Sicuti enim familia Aelia insignis ICTorum fuit, ita in ea inprimis excellit noster C. Aelius
Sextus

Sextus, de quo POMPONIUS l. 2. §. 7. D. *de orig. Iur. Augescente*, ait, *ciuitate, quia deerant quaedam genera agendi, Sextus Aelius alias actiones composuit, et librum populo dedit, qui appellatur Ius Aelianum.* Iam de eius familia multa dicere non attinet, quod V. Cl. RUPERTUS ad POMPON. *Enchir.* §. 38. p. m. 342. et PERIZON. *Animadv. Hist.* II. p. 71. multis de ea agit, vnicum allaturus anno DLVI. consulem fuisse. Cum enim per Ius Flavianum actiones legis et fasti innotescerent, hic Aelius nouas notas s. formulas, quemadmodum V. *Celeberrimus ERNESTI Clav. Cic. v. Notae ad Cic. locum pro Mur. II.* et quem secutus V. Cl. RITTERUS ad HEINNEC. *Hist. Iur. p. 101. ed. Bat.* docent, composuit, et Pomponii verbis alias actiones, pariter ac veteres, cum populo communicauit, ex quo Ius Aelianum exortum est, de quo videndus NORIS. ad CENOT. PISAN. III. II. p. 423. Sed hoc non solum eius diligentiae tribuendum est, sed et alia scripta edidit, de quibus POMPONIUS l. c. §. 38. haec affert: *Sextum Aelium etiam ENNIUS laudauit, et extat illius liber, qui inscribitur TRIPARTITA, qui liber veluti cunabula iuris continet. Tripartita autem dicitur, quoniam Lege duodecim Tabularum praeposita, iungitur interpretatio; dein subtextitur legis actio. Eiusdem esse tres alii libri referuntur, quos tamen quidam negant, eiusdem esse. Quin praeterea Commentarios de iure ciuili scripsisse CIC. Orat. l. 56. testatur, uti. b. m. BACHIVS Histor. Iur. colligit.* Iam de eo quaeritur, an Tripartita a Iure Aeliano differant? quod ego quidem negarem ductus eo argumento, quod POMPONIUS de his libris separato loco agat, §. 7. et 38. quanquam in eo facile consentio, quod deinde post publicatas in Iure Aeliano Legis actiones, eas in Tripartitis repetiit, quare etiam LEX AELIA SEXTIA apud CIC. *Topic. 2.* vbi falso legitur, AELIA SENTIA, de hoc commentario Küstneri *Chrest. Enn. I.* D capienda

capienda est. Ceterum hic *non solum iuris ciuilibis erat peritissimus, sed etiam ad dicendum paratus.* CIC. in Brut. 20. CATUS vero dictus quasi acutus, idem ENNIUS p. 135. v. 4. *cata signa*, cautus, inde cautiones ICTorum, et *cautionum praeceptio* CIC. Orat. 41. quod actiones et formulas, quas nostri cautelas appellant, componebat, quibus prouidebat, ne in contrahendis negotiis homines fallerentur, de qua notum est illud CIC. Epist. ad Div. III. 1. qui Valerio ICTo *melius cauere velit, quam ipse aliis cauet*; et quod ENNIUS similibus verbis exprimit *alt. Medea* pag. 210.

Qui ipse sibi

Sapiens prodesse nequit, ne quidquam sapit.

Porro *plus cautionis est in re, quam in persona* l. 25. D. de reg. Iur.

pag. 131. v. 1.

pars

Ludicre iactant, saxa inter se licitantur.

Licitantur.] Propria significatio, *cum duo inter se pugnando contendunt*, NON. ll. 505. v. *Licitari*, quae deinde translata est ad negotiationem, locationem, et emtionem, quae quasi ciuilibis certatio est, quando quis alterum plus offerendo superat, qui *licitatione victus* dicitur l. 7. §. vlt. D. comm. diuid. ab eo, qui *licitando vincit* l. 6. D. famil. ercisc. et postremus *licicator* est, siue *penes quem licitatio remansit*, l. 19. §. 3. D. comm. diuid.

Pag. ead. v. 3.

Quod scis

In volgum volgas, artemque expromis inertem.

In volgum volgas.] In hoc defenditur lectio Florentina, quae saepe volgo habet, vti in l. 44. §. 3. D. de ritu

ritu nupt. volgo concipere, quid vero vulgus, et vulgare sit, in vulgus notum est.

Pag. 132. vs. 2.

Multa foro ponit, et agea longa repletur.

Foro] *Forum* quid sit, supra p. 46. dictum, est scilicet locus magnus, in quo conueniunt homines vel negotiis vel iudiciis vt adsint habendis; sed hic locus inclusus haud apertus intelligitur in naui, quemadmodum eodem sensu GELLIUS *N. A. XV, c. vlt. stans in summo puppis foro, vbi nautae remigant, teste Sosipatro l. l. quo inclinatur alia significatio verbi, quam in Leg. XII. Tab. DVM INTVS POSITVS FORISV EFFERTVR* animaduerti, cum hic forum, h. e. atrium, in quo intus positus erat cadaver, intelligitur, in quo consentientem habeo quoque FESTUM v. *Forum*, qui has quoque significationes affert, quanquam non reiicio eos, qui *foris* aduerbium poni malint.

Agea longa.] Locus in naui, vbi remiges versabantur, et in ea maxima quaeque res agebatur, FESTUS v. *agea*.

Pag. 135. vs. 1.

Tantidem quasi foeta canes sine dentibus latrat.

Tantidem] Non est, quod HESSELIUS hanc vocem eiicere, eiusque loco Plautinum *tantundem* substituere velit, cum libri Iuris eam defendant, cum *tantidem aestimare, tantidem locari, l. 63. §. 2. D. ad L. Falcid. l. 18. D. de iur. dot. et l. 3. §. 6. D. de iure Fisci* habeant, ergo in tantum adeo latrat quasi canis foeta, vti etiam *foetus animalium* proprie dicitur l. 4. §. 5. *D. de usurpat. et l. 7. C. de execut. rei iudic. et partus gregum et pecorum* inuenitur in l. 25. §. vlt. *D. de haered. petit.*

D 2

Pag.

Pag. 136. vf. 4.

Quis pater, aut cognatu' volet nos contra tueri?

Pater aut cognatus] Non pugnat hoc cum §. 1. *Inst. de legit. agnat. tut.* per quam, qui per feminini sexus personas cognatione iunguntur, agnati non sunt, sed alias naturali iure cognati; quoniam per l. 10. §. 2. *D. de grad. et aff. cognati sunt, et quos agnatos Lex XII. Tab. appellat, sed hi sunt per patrem cognati ex eadem familia; qui autem per feminas coniunguntur, cognati tantum nominantur; ex quo loco simul intelligitur, iam ENNI tempore agnatos etiam cognatorum nomine venisse.*

Pag. 139. vf. 3.

O domus Ancei, heu, quam dispari domino dominaris

Domino dominaris.] Cum multi eam opinionem opinantur, quod vox *Domini* non Principibus et Regibus Pop. Romani conueniat, quoniam aspernabantur hoc nomen, atque Caesar Caligula primus hoc nomen sibi cum diademate sumserit, *AUR. VICT. de Caes, 3.* quod deinde recentiores Imperatores lubenti animo acceperint; quare propter eminentiam *Domini* dicti sunt l. 8. *C. TH. de indulg. crimin. Libr. IX. Tit. 38. l. 2. C. TH. ne praeter crim. maiest. IX. 6. quod igitur facinus tendebat in Dominos, appetitae maiestatis crimen erat; et IURETUS ad SYMACH. Epist. I. 8. Hoc in loco pervetus autor ENNIUS Ancum Regem Dominum appellat, eiusque domum a dispari rege gubernari atque imperari dicit, qui nullus alius, quam regni successor esse potest; quare etiam imperium decemvirorum nimiam atque asperam dominationem appellat POMPONIUS l. 2. §. 24. D. de origin. Iur.*

Pag.

Pag. 144. vs. 4.

Quom illud, quo iam semel est imbuta veneno.

Venenum.] Hoc loco non pro mortifero adhibetur, sed pro humore, quo testa afficitur, vti apud VIRG. *Georg. II. 465.*

Alba nec Assyrio facatur lana veneno.

Quin etiam pro medicamento est, qua de re consulendus est CAIUS l. 236. D. *de verb. signif.* *Qui venenum dicit, adicere debet, utrum malum, an bonum; nam et medicamenta venena sunt, quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum naturam eius, cui adhibitum esset, mutat, cum id, quod nos venenum appellamus, Graeci Φαργανόν dicunt, quo simul Homeri locum avertit. Ergo nomen medium est, et tam id, quod ad sanandum, quam id, quod ad occidendum paratum est, continet l. 3. §. 2. D. *ad L. Corn. de Sicar.* quare etiam in LL. XII. Tab. QVI MALVM VENENVM FAXIT, legitur, tum etiam in recentioribus legibus l. cit. l. 9. §. 1. D. *ad Leg. Aquil.* l. 7. ff. *ad L. Pompei. de parr.* et aliis.*

Pag. 145. vs. 6.

Tergum igitur sagu' pinguis opertat.

Sagus] *Sagum* militarem vestem esse, omnes cum ignarissimis sciunt, cum hic *Sagus* masculino genere afferatur, quem quoque inter vestimentum recipiunt, atque vestem putridam atque villosam iter facientibus consuetam habent, de quo vide plura apud SALMAS. *ad Script. Hist. Aug. T. II. p. 200. 384. et 862.* quare pinguis dicitur, quare etiam inter familiarica l. 23. §. vlt. D. *de aur. arg. legat.* et vestes hyppocomorum, quos hodie nos

D 3

posti-

postilions appellamus l. 13. C. *de cursu publ.* referuntur; inde qui eas vendebant *Sagarii*, et e collegio *Sagariorum* REINES. *Inscr. Class.* IX, 9. XI. 103. dicebantur, et *sagariam negotiationem* exercebant l. 52. §. 4. D. *pro socio* l. 5. §. 15. *eod de trib. act.* quae eo magis pro societate vestium coemendarum et vendendarum habenda, cum in l. vlt. cum *linterariis*, quemadmodum *Sagum* cum *linteris* in *add. l.* D. *de aur.* coniungatur.

Pag. ead. vs. 7.

Equitum celerissimus.

Equitum.] Equites milites esse, qui equo merentur, et qui magna auctoritate apud Rom. fuerint, inter omnes notum est; sed hic denotat quemuis, qui equo vehitur, nec pedibus ambulat, vti eadem vox adhibetur l. 12. D. *de seru. praed. rust. iter est, quo quis pedes, vel eques commearere potest*, quin pro ipsis equis sumi, ENNIUS auctor est *Annal.* VII. vs. 5. et 7. p. 72. *cum quadrupes eques* bis dicitur.

Epigrammat. pag. 162. vs. 1. sqq.

P. Scipionis Africani tumultus.

*Heic est ille situs, quoi nemo ciuei neque hostis
Quibit pro facteis reddere operae pretium.*

Et de eodem.

*A sole ex oriente supra Maeoti paludes
Nem' est, qui facteis me aequiparare queat.
Si fas est caedendo coelestia scandere quouquam est:
Mi solei coeli maxuma porta patet.*

Inter

Inter ICTos Rom. caput inprimis extollit P. CORN. SCIPIO NASICA, a Senatu Vir Optimus dictus, cui publice domus in sacra via data est, quo facilius consuli posset l. 2. §. 37. D. de orig. Iur. qui, an noster fuit, de quo cecenit ENNIUS, anquiritur. Cum enim vterque SCIPIO pater et nepos, de quibus consuli debet RUPERTUS in *Enchir. ad POMPON.* p. m. 320. sq. Africani nomine veniat, ad vtrumque facili negotio referri potest, nisi de minore, qui Carthaginem et Numantiam deleuit, et eo ad maiorem gloriam peruenit, intelligere velis. Certe de ICTo agere ENNIUM eo magis animus inclinatur, quod non dubium est, quin pro more istorum temporum vterque iuris scientiam sit professus.

Sitos] Vero appellari, qui positi sunt atque conditi, CICERO testatur de LL. II. 22. de qua locutione supra p. 17. sq. iam diximus.

Nemo ciuei neque hostis] Iuris antiqui verbum, cum ciuibus hostes s. peregrinos opponunt. *Hostis* ait CICERO *Offic.* l. 12. *apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus*; indicant enim XII. Tab. AVT STATUS DIES CVM HOSTE. Itemque ADVERSVS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS; et quos nos hostes appellamus, eos veteres perduelles appellabant l. 234. pr. D. de verb. signif. quare etiam altero in loco dicitur:

A sole exoriente supra Maeoti paludes.

quod hic *apud hostes* est.

Aequiparare] Vox etiam ICTis nota, vbi *aequiparant famosa iudicia* l. 104. D. de reg. Iur.

Quibit] Non solum a Poetis, sed etiam ICTis pro posse sumitur, vti *conuenire queeunte* l. 46. §. 8. C. de Episc. et Cler.

D 4

Operae

Operae pretium.] Ne syllaba excedat, legit HESSELIUS *operpretium*, nam coniungi hoc verbum cum aliis vel ex Iure nostro patet; ita enim *manupretium* datur pro artificis opera l. 30. §. 3. D. *de locat.* et in eo *non materiae, quam manus, et artis ratio* ducitur *Ascon. Verr.* III. p. 105. vti hac de voce accurate egit BRISSON. *Sel. Antiqu.* IV. 23. iam operae pretium BUDAEOUS in *ff. libr.* 21. quem locum excitare haud potui, adducto LIVII XXI. 43. loco interpretatur pro praemio, quemadmodum LIVIUS *magna operae pretia mereri*, et CIC. in *Somn. Scip. de Africano minore praemium propositum*, dicebat. Et recte quidem, cum et in l. 5. §. vlt. D. *de iniur. pretium accusationis aestimatione iudicis constituitur*, atque seruo libertatis pretium praestatur. Quod hic vero dicitur factis operae pretium reddere, sequentibus verbis est: *facteis me aequiparare queat.*

Ex Scipione pag. 169. vs. 3. 4.

*Quantam statuam faciet populus Romanus,
Quantam columnam, quae res tuas gestas loquatur.*

Inter praecipuos honores, quibus principes Romani, propter res bene gestas ornabantur, eorumque memoria ad posteros transferebatur, erant statuae et columnae in publico positae, quae adeo monumenta, et memoriae virorum illustrium nominabantur apud ICTOS, quod *memoriae seruandae gratia existit.* l. 2. §. 6. D. *de relig. et monumenta publica*, et in monumento *statuae positae* l. 27. D. *de iniur.* Vnde multae statuae antiquissimis pariter ac recentioribus temporibus in foro, et porticibus positae, in honorem bene de republica meritorum l. 29. D. *de reb. auct. iud. possid.* et l. 17. D. *de interd. et relig.* et si cuius memoria propter crimen maiestatis aut perduellionis

lionis damnabatur, eius statuæ revellebantur, qua de re adi, si placet, LIPS. *Excurs. ad Tac. Annal.* Libr. VI. Iam praeterea columnas in porticibus, quibus forum Romanum erat ornatum, fuisse, satis patet, quare latitabant circa columnas l. 36. D. *de reb. auct. iud. possid.* ut vitarent creditores, qua de re vide CUIAC. *Obs. I.* 13. XI. 8. qui etiam in l. 7. §. 13. D. *quib. ex caus. in possess.* elegantissime ratione pro voce *stationes statuas* legit.

Ex Epicharmo. p. 138. v. 1. 2.

*Inde venit diuinitu' pulleis insinuans se
Ipsa anima.*

Insinuans se] Disceptatur sane inter ICTOS, an verbum *insinuare* inprimis eo sensu, quo ICTIS donationes et contractus actis insinuantur, sit bonae notae, adeo ut ipse DUCKERUS, optimus hac in re auctor, *de latinit. ICTorum* p. 439. de eo, inprimisque, cum notum facere significet, ambigat, atque hoc recentioribus tantum latinis scriptoribus relinquat. Iam vero hoc in loco propria adhibita est significatio, qua *insinuat*, quasi *inspiratur*, *infertur*, et vti vulgo dicitur *communicatur* in finem anima, qua ratione μεταφορικῶς *insinuata a diuino Petro apostolo*, qui eam tradidit Romanis, *religio atque fides*, h. e. tradita, vti loco adducendo explicatur, *indita animis* l. 1. C. *de summa trinit.* et l. 24. C. TH. *de haer.* XVI. 5. quod deinde translatum, quando quis animi voluntatem alteri quasi in finem deponit; inde *fideicommit- tens voluntatem suam heredibus insinuat*, l. 11. §. 2. D. *de legat. III.* vti que *iudici desiderium insinuat*, et notum facit l. 9. C. TH. *de Decur.* XII. 1. quum *litem* apud eundem *insinuat*, aut *defert*, l. 1. C. TH. *de denunt.* II. 4. et ex eo sequitur, quod testamenta et donationes actis, rerum-

D 5

que

que gestis apud iudicem insinuantur l. 30. 31. 36. §. vlt. C. de donat. quemadmodum vero is, qui voluntatem suam iudici declarauerat et insinuauerat, volebat, vt post mortem, aut occasione interueniente publicetur etiam ei, cuius intererat scire, quod scripserat defunctus; deinde exortus est Significatus, quo pro publicatione quoque sumitur insinuatio l. 11. §. 2. D. de legat. III. quae tamen non saepiuscule occurrit, qua de re consulendus DUCKERUS, et ante eum SALMASIUS ad CAPIT. VER. c. 1. pag. 406. T. I. et ad Polybist. SOLINI.

Ex Medea p. 197. vs. 11. sqq.

*Vtinam ne in nemore Pelio securibus
Caesa cecidisset abiecta ad terram trabes.
Neue inde nauis inchoandae exordium
Coepisset, quae nunc nominatur nomine
Argo, qua vectei Argivei delectei virei
Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis imperio Regis Peliae per dolam.
Nam nunquam hera errans mea domo efferret pedem
Medea, animo aegra, amore saeuo saucia.*

Argumentum loci, quo tractatur Argonautica expeditio, nos non retineat, cum potius in eo subsistat oratio nostra, cum

Pellem inauratam] in auxilium vocant interpretandae l. 14. D. de contrab. emt. Iam pellem inauratam, pro aureo vellere arietis dici, quisque facile videt, qui aureum illud fabulari, atque a Poetis ita dici haud ignorat, quemadmodum pelles de lana ouium et ferarum ICTIS vsurpantur l. 70. §. 8. D. de legat. III. l. vlt. §. 7. D. de publican. Iam vero quid faciamus l. supra adductae;

ductae; si inauratum aliquid sit, licet ego aureum putem, valet venditio, quam legem pro eruditione satis cognita interpretatur CORN. VAN BYNCKERSHOECK *Obs.* VI. 14. ita, ut inauratum auro oppositum, non aes auro obductum, quod mensa argento cooperta pro solida non potest vendi l. 41. §. 1. *eod.* sit, quae propria est significatio PAULUS *Sent.* V. 25. 5. et l. 21. C. *de oper. publ.* sed uti l. 102. D. *de solut. aërosa pecunia*, cui multum aeris inest, hic aes auro mixtum esse intelligitur, quod quidem ENNIANAEE sententiae contrarium, sed verum est propterea, quod antea dicitur *magna ex parte fuisse aeneum*. Sed quae, quaeſo, ratio est, quod mensa argento obducta, et si aes pro auro veneat, venditio non valeat, cuius causam quisque facile intelligit, cum contrahentes non in unam rem consenserunt, hic vero, si inaurata res fuerit, et magna ex parte aenea, valeat venditio. Et quid? Inauratum, aes auro admixtum, quomodo praestet vel aequiparetur auro? Haeret certe aqua. Iam inaurata materia designari aurichalcum, quod FESTUS *hac voce ex aere et auro compositum est, et omnibus metallis pretiosius* SERV. VIRG. *Aen.* XII. 87. habet, putabam; cui tamen opinioni obstat VLPIANUS l. 45. D. *eod.* si vas aurichalcum pro auro vendidisset ignorans, tenetur, ut aurum, quod vendidit, praestet, donec eo animum inclinarem, ut inauratum vas et viriolam, ex aere Corinthio conflatum esse existimem, quod uti constat, cum ipsi aurum argentumque inesset, et mixtura tum auri tum argenti praevaleret, PLIN. *H. N.* XXXIV. 2. et *ars pretiosior erat, et ad infinitum operae pretia crescerent eod.* exquisito pretio et auro pretiosius vendebatur, et quanquam magna ex parte ex aere constabat, inter aenea haud referebatur l. 100. §. 3. D. *de legat.* III. quoniam, quod alias aes pro auro vendi possit, nulla subesset ratio, quam tamen coniecturam meam acutioribus lubens relinquo.

Hera]

Hera] Pro domina, dictum est, uti hero actio
Legis Aquiliae competit l. 11 §. 6. D. ad L. Aquil.

Animo aegra] ira accensa, uti *offensa aegrae mulie-*
ris occurrit l. 3. ff. *si quis aliqu. testar. prob.*

Ex eadem p. 201. vs. 6. sq.

*Antiqua herilis fida custos corporis,
Quid sic, extra aedeis exanimata eliminas?*

Quod fragmentum locum hic non inuenisset, nisi Sc I-
PIO *Gentilis Origin. v. Aeditui*

Herilis] emendasset in *Aedilis*, nulla sane ratione,
uti recte monet EVER. OTTO *de Aedil. Colon. p. m. 108.*
cum veterem lectionem confirmat EURIPIDIS locus,
quem in latinum transtulit ENNIUS:

Παλαιὸν οἴκων κτῆμα δεσποίνης ἐμῆς.

Ex eadem p. 204. vs. 7. sqq.

*Animadvertite, et dicto parè,
Praeter rogatum ne querare
Si te secundo lumine hic offendero,
Moriere.*

Regum sunt haec imperia, ait Cic. *pro Rab. Post. 11.*
cum haec verba repetit, quanquam sine mentione EN-
NII, qui sine dubio haec ex EURIPIDE in suam Me-
deam transposuit. Sed non solum regum, sed etiam
praetorum, et ius dicentium verba sunt;

Animaduerte] Est enim causam cognoscere, rem
inquirere, quod Praetoris est, et arbitri, qui sese animad-
versuros

verforus pollicentur l. 1. §. 1. D. *de minor.* et l. 28. D. *de probat.* quoniam vero eorum cognitio non solum in ciuilibus negotiis, sed etiam delictis et quaestionibus versabatur l. 15. §. 25. D. *de iniur.* etiam eorum animaduersio locum habet, quae si facta est, et reus criminis est obnoxius, sequitur interdum poena capitalis et vltimi supplicii, qua afficiuntur, quod ipsum animaduertere dicitur l. 2. §. 30. D. *de origin. Iur.* l. 13. D. *de offic. praes.* l. 4. §. vlt. D. *ad L. Corn. de Sicar. et animaduersorum corpora* l. 1. D. *de cadav. punit.* vti etiam, qui gladio poenam subire debebant, proprie animaduertebantur, l. 8. §. 11. D. *de poen.* qua de re alio loco. Sicut etiam Licitor animaduerti, h. e. officio fungi iubetur, LIV. XXIV. 44. et SVET. *Caes.* 80. quemadmodum vocis

Parere] etiam in iudiciis ratio habetur, quando legibus, magistratibusque parendum est. VLP. *Reg.* XVII. l. 1. 28. D. *de muner. et arbitrorum vnum genus est, vt siue aequum sit, siue iniquum parere debeamus* l. 17. §. vlt. D. *pro soc.* l. 11. §. 3. l. 23. §. 2. D. *de recept.*
Quin

Si te secundo &c.] CIC. *ad Att.* VII. *Epist. vlt.* haec inter Caesaris interdicta refert, quae tamen tantum absit, vt inter iudicialia referas, vt potius, quoniam magnae essent auctoritatis interdicta, hac vocula vsus est.

Ex eadem pag. 208. vs. 9.

Neque tuum vnquam in gremium extollas liberorum

Ex te genus.

Respicit satis cognitum Romanorum ritum, quo liberos recenter natos humi positos parentes tollebant, et quidem in gremium matris, quo vt suos suscipiebant, et vt educerentur, declarabant.

Ego

Ego quom genui, tum moriturum sciui, et ei rei sustuli,

ENN. *Telam.* p. 224. vs. 5. quare etiam leges *tolli* et *suscipi* liberos a parentibus dicunt l. 3. D. *de coniung. cum. emanc.* l. 37. §. 6. *eod. de oper. libert.* quod etiam matres faciunt l. 92. D. *de adquir. et amitt. hered.* et l. 77. §. 24. D. *de legat. II.*

Ex Iphigen. p. 214. vs. 3.

*Procede, gradum proferre pedum
Nitere; cessas?*

Nescio, qui VERR. haereat in voce pedum, atque per eam baculum incuruum pastorum intelligat, qui est vt baculus ad angulum, cum, vt FESTUS h. v. recte monet, sit planissimus sensus et ἐν δία δυαίν, *procede, et celeriter curre, pedes moue, quasi dicas: cura, vt pedum gradus promoueantur, vti legitur in l. 17. §. 9. D. de aedil. edict. qui ad fugam gradum unum vel alterum promouet.* In eo tamen laudandus FESTUS, quod nobis primitium dederit *pedamenti*, qui sunt pali in vineis vitibus sustinendis, cuius vsusfructus et seruitus, vt ex aliena filua caedua sumantur, constitui potest l. 3. §. 1. D. *de seruit. praed. rust.* et l. 10. *eod. de usufructu*, quae non l. 6. §. vlt. *eod. de seruit. praed.* quoniam tum, si quis praediorum meliorem iis causam faciat, et curet, ne pedimenta in vineas desint, non recedit ab usufructu, repugnat.

Ex Telamone p. 225. vs. 3.

*Non habeo denique nauci Marsum augurem,
Non vicanos haruspices, non de circo astrologos,
Non Isiacos coniectores, non interpretes somniûm;
Non enim sunt ii, aut scientia, aut arte diuinei.*

Sed

*Sed superstitiosi vates, impudentesque hariolei,
 Aut inertes, aut insanei, aut quibus egestas imperat:
 Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam;
 Quibus diuitias pollicentur, ab iis drachmam ipse
 petunt:
 De his diuitiis sibi deducant drachmam, reddant
 cetera;
 Qui sui quaestus causa fictas suscitant sententias.*

Habes collegium et gregem bonae notae, qui vaticiniis et praestigiis homines decipiunt, quos iam ENNIUS reiicit, simulac l. 5. C. de malef. supra p. 4. citata, vbi de auguribus et auspiciis diximus. Vti enim augures, quod ex HORATIO patet Od. 7. et 17. in prouincia Italia Marsia imprimis excellabant,

Vicani haruspices] ex animalium extis futura dicebant; inde *extorum praesagia* l. 2. C. de pagan. ab *haruga*, hostia dicti, consulti antequam res gererentur, vt scirent, qualem exitum sint habiturae, auguribus inferiores, ab ipso tamen CONSTANTINO M. in templis et agris, vt arti operam darent, haud neglecti, donec ipsis finem artis exercendae imposuit l. 9. C. TH. XVI. 10. de pagan. sacrif. conf. GOTHOFR. ad l. 2. C. TH. de malef. et mathem. IX. 16. sed cur

Vicani] quod in vicis circumirent, atque hominibus stolidis artem suam profiterentur, vti medici *περιοδύται*, qui vicatim aegrotos visitabant, de quibus eleganter disputauit MENAG. *Amoen. Iur. Civ. c. 35.* Sed ENNIUS non videtur intelligere hos leuissimos homines, sed qui prodigia et portenta procurabant, h. e. sacrificiis expiabant, quae maxime in eo loco, vbi accidisset, instituebantur, inde quod non certo loco, sed in vicis, fiebat, vicini, vti etiam *vicanei*, qui eodem vico sunt, TIT. COD. vt. null. ex vican. Accedant

De

De circo astrologi] qui futura ex astris eliciebant, *astrologus*, vel qui illicitam diuinationem pollicetur, consultus aliquem furem dixisset, qui non erat, l. 15. §. 13. D. de iniur. Erant vero hi astrologi, de quibus vid. GELL. N. A. XIV. 1. vti reliqui vates in foro et circo LIV. l. 39. quare facile inter circulatores, qui in circo et hominum circulis serpentes circumferunt et proponunt l. 11. D. de extra. crim. referas. Hos recentiores e Romanis Mathematicos appellabant, qui ex positu stellarum euentus praenoscere se gestiebant, quos *Planetarios* appellat AUGUSTINUS Confess. IV. 43. et cum maleficis coniungunt l. C. de malef. et mathem. et GOTHOFR. paratitlis in C. Tb. IX. 16. de malef. et math. Sequuntur

Isiaci coniectores] qui ex signis et coniecturis rem futuram colligunt, vti *coniectura auguro* apud ENNIUM Menalipp. p. 279. et ex Aegypto, vbi Isis Dea colebatur Romam venerant, quare etiam pro argumentatione sumitur coniectura. In eo enim, quod tempore, vel facto finitum est, nullus est coniecturae locus l. 137. §. 2. D. de verb. obligat. Succedunt tandem

Interpretes somnium] qui ex relatione somniorum futura quasi praesagiebant, de quibus hominibus adeundus CIC. ni de divin. libris.

Scientia aut arte diuinei] quod hanc scientiam a Diis, vti vulgo existimabant, acceperant, vnde dicta diuinationo et partem iuris nostri conficit, cuius prudentia, vti inter omnes constat, rerum diuinarum humanarumque est notitia §. 1. Inst. de iustit. et iure, ad quas priores sacrificiorum ritus caerimonias et religiosas res iure referimus. Sed succrescit aliud genus inferioris notae:

Superstitiosi vates, imprudentesque harioli] quos item coniungit l. 5. C. de malef. et math. vti hariolum cum aruspice DONAT. ad TERENCE. Phorm. IV. 5. 27. qui diuina mente uaticinantur, a Diis sibi reuelata aliis tradebant,

tradebant, quos inertes, insanos, h. e. non diuina arte instructos, et egentes praedicat; similes, qui thesauros effodere alienis opibus cupiunt, et ipsi nec obolum habent, qui sui quaestus causa fictas suscitant sententias, quos aeruscatores, et *cibum, quaestumque ex mendaciis captantes* prodit PHAVORINUS apud GELL. N. A. XIV. 1.

Ex Hect. iust. p. 227.

*Melius est virtute ius, nam saepe virtute malei
Nanciscuntur ius, atque aequom, se a malis spernit
procul.*

Quid? nonne iustitia in virtute est? et qua ratione malis tribuitur virtus, qua ius nanciscantur? Virtus hic, vti in multis aliis locis fortitudo est, quam virtutem *bellicam* et *militum* dicit l. 12. et 21. D. *de capt. et post.* qua saepissime mali ius nanciscuntur, vel potius occupant.

Aequum] Quod saepiuscule iuri stricto opponitur, *boni et aequi ars* est l. 1. D. *de iust. et iure*, et malos procul a se segregat, quemadmodum *se spernit* explicat NONNIUS IV. 435.

Ex iisdem p. 228. vs. 11.

*Ecce caligo oborta est, omnem prospectum abstulit
Derepente contulit sese in pedes.*

Prospectum] Ne quis accuset ICTOS male latine loqui, cum seruitutem *de prospectu* habeant, *ne quid prospectui obsit*, l. 12. 16. D. *de seruit. urban. praed.*

Derepente] Quasi dicas repente se in pedes contulit, germanorum more, er hat sich geschwinde auf die Beine gemacht.

Küstneri Chrest. Enn. I.

E

Ex

Ex Andromacha p. 234. vs. I. sq.

*Praesidii quid exsequar? quo nunc aut, exilio aut
fuga,*

*Freta sim? arce et vrbe orba, quo accedam? quo
applicem?*

*Quoi nec patriae arae domi stant; fractae et disie-
ctae iacent*

Fana flamma deflagrata, tostis alti stant parietes.

Deformati, atque abiete crispa.

O pater, o patria, o Priami domus,

Septum altifono cardine templum:

Vidi ego te, adstante ope barbarica,

Tecteis caelateis, laqueatis,

Auro, ebore instructum regifice.

Haec omnia vidi inflammari,

Priamo vei vitam evitari,

Iouis aram sanguine turpari.

Heu reliquias semiassi regis, denudatis ossibus

Per terram sanie delibutam foede diuexarier.

Vidi videreque passa sum aegerrime,

Curru Hectorem quadriugo raptarier:

Hectoris natum de moero iactarier.

Exilio] Hoc inter poenas referri, cum quis ob delictum vrbe cedere, et in alium locum migrare cogitur, palam est; sed volentis exilium non facile occurrit, *pro fuga*, nisi quis eo trahat l. 16. §. 7. D. *de poen.* ideo apud *graecos exilio voluntario fortuiti casus luebantur, adducto loco HOMERI.* Sed hic exilii speciem indictam notio poenae infert, quod voluntarium tantum dicitur, cum in eius voluntate stat, quo velit migrare.

Appli-

Applicem] Habet sensum fere eundem, quo accedam? tautologice, nisi commodior fiat interpretatio, qua ad ius applicandi ducitur, qua de re doctissime egit GRONOV. *Obs.* I. 5. p. 84. Peregrini enim in patroni clientelam se deferebant, uti illa Glycerium

applicat

Primum ad Chrysidis patrem se

TERENT. *Andr.* V. 4. 21. Andromacha clamat, in cuius tutelam et clientelam me tradam?

Deformati] proprium verbum aedificiorum incendiis et ruinis deiectorum, uti apud alios auctores; PLIN. *Epist.* X. 75. *domus nunc deformis ruinis* et l. 5. C. *de oper. publ. ea, quae iam deformibus ruinis intercidisse dicuntur* et *deformitas aedificiorum* l. 7. D. *de offic. praesid.*

Ope barbarica] pro *barbara*, Barbaros vero Romani praeter se et Graecos appellabant reliquos populos, inde recte apud Ictos *barbaricae immanitatis ritus incestus* l. 32. Cod. GREGOR. *de nupt. et barbarica feritas captivitatis necessitate* l. 20. pr. C. *de postlim. reuers.* qui non parebant Romanis §. 1. *prooem. Inst. et Nouell. CXVII. cap. 4.* inde facile abs me impetrarem, ut in *cognita* l. 3. ff. *de offic. Praet.* loco *Barbarius Philippus* legerem *barbaricus Philippus*, cum Barbarius nomen eius esse vix credam, ut potius e *barbara* gente et loco *seruus* sit, uti *barbarica folia*, l. 16. §. 7. D. *de publ. et vectig.*

Tecteis caelateis laqueatis-instructum] Alio loco dicam, hic *laquearia* domus vel *lacunaria* l. 12. §. 22. D. *de instr. vel. instr. leg.* intelliguntur.

Vitam euitari] mallet legere *euiuari*, quod amat ENNIUS repetitionem vocum, inprimis cum analogia haud repugnet, quod *aduiuere* legimus in GRUT. *Inscr.* p. MCXV. 8. et MCXLV. 8. quin in ipsis legibus nostris

E 2

vti

vti l. 25. §. 5. D. de libert. leg. et l. 30. pr. D. de adim. legat. donec adiuuet, et quam diu adiuuet, male habitae a CUIACIO, qui illud ad cum priori vocula donec et quam diu coniungere vult in Comment. ad l. 115. et 118. D. de leg. I. et Obseru. VIII. 36. cum alius commodus sensus τὸ euitari non adsit, nisi paulo durior, quo euitare, pro effugere dicimus. Qui enim effugit, euitat eos, qui eum premunt; atque hac ratione, euitandi iudicii, legis, poenae, mentio fit in legibus l. 12. D. de alienat. mut. iudic. l. 6. C. de seru. fugit, l. 5. D. de vi bon. rupt. ergo Priamo vim inferri videbam, qua effugeret vita, dicit Andromacha.

Reliquias semiaffi regis, denudatis ossibus] Reliquiae, quod adhuc reliquum est, denotant, sed imprimis dicuntur de ossibus et cineribus defunctorum, cuius rei magna copia exstat in legibus v. c. l. 42 44. D. de relig. l. vlt. D. de mort. inf. inde recte defenditur lectio reliquiae; in l. 30. D. famil. ercisc. et l. 27. D. de condit. inst. et si eae, vel corpus, in monumentum inferuntur, fit sepulcrum l. 42. citat. Qui vero corpus nondum sepultum, sed commendatum nudaret, et solis radiis ostenderet, piaculum committit, atque ideo, si honestior sit, in insulam, si humilior, in metalla dari solet, PAUL. l. 21. 4. Cremato vero corpore legebantur ossa a proximis, TIBULL. l. 3. 6. inde ossuaria et ossaria, in quibus ossa mortuorum conduntur l. 2. D. de sepulc. violat. vbi CUIAC. Obseru. X. 37. legit ossuarium, sed defendi potest vtrumque, quamquam hoc affert GRVT. Inscript. p. 626. quare amicorum et cognatorum officium erat, vt iusta persoluerent mortuis, indeque queritur Merope in Em. Cresph. p. 261. vs. 1. sq.

Neque terram iniicere, neque cruenta

Conuestire mihi corpora licuit,

Neque miserae lavêre lacrumae salsum sanguinem,

cui

cui non obstat Lex e *Tab. X.* HOMIMI MORTVO
 OSA NE LEGITO cum ad eam visionem pertinet, quan-
 do POST FUNVS FACIAS, h. e. quando sine cadauere,
 parte corporis relicta funus facias, EXTRA QVAM SI
 BELI ENDOVE HOSTICO MORTVS ESCIT, vbi
 non sepulcrum et funus erat, sed *κενοτάφισ*, et inane se-
 pulcrum, vide CUIAC. *ad Papin. Quaest. II. l. vlt. ff.*
de his, qui not. infam. et NORISII *Cenotaph. Pisana.* et
 BYNCKERSHOECK *Obs. Iur. I. 5.*

Ex eadem p. 241. vs. 2. sq.

*Haec malos annos, multosque longinque ab domo
 Bellum gerentes summum, summa industria.*

Longinque.] dictum pro longe et procul. Non igitur
 reiicienda lectio *longinquo abfuturus l. 44. D. de procurat.*
 et *longinquo absens l. 39. pr. D. de legat. I.* quare subin-
 telligas *ex longinquo*, vti scriptum est in *l. 2. C. de exhib.*
et transm. reis; aut lege *longinque*, vti hic.

Ex eadem p. ead. vs. 4.

Quid sit seditio? tabesne, an numeros augificat suos.

Augificat] quod eo consilio affero, quoniam sunt,
 qui lectionem Florentinam in *l. 1. §. 10. D. quod vi aut
 clam, qui te magnificiebat*, malint librariorum incuriae,
 quam ICTO tribuere, quod tamen potest defendi ex ana-
 logiae ratione *augificare, aedificare, significare*, quanquam
 etiam *l. 60. §. 4. D. locati* et *l. 65. §. 1. D. ad Sctum
 Treb. aedifacere, et signifacere* occurrat, cum inconsueta le-
 ctio sit vulgari praefenda.

Ex Chresph. p. 258. vs. 1. sqq.

*Iniuria abs te afficior indigna, pater,
 Nam si improbum Chrespontem existimaueras;*

E 3

Cur

*Cur me huic locabas nuptiis? sin est probus,
Cur talem inuitum inuitam cogis linquere?
Nulla te indigna, nata, afficio iniuria:
Si probus est, bene te locaui; sin est improbus,
Divortio te liberabo incommodis.*

Improbus et probus] artis sunt vocabula, inde in *Legibus XII. Tab. NI TESTIMONIUM FARIATUR, IMPROBUS INTSTABILISQUE ESTO.* Ergo is, qui contra bonam fidem agebat, et contra leges, atque delictis obnoxius, improbus erat, atque leuis notae macula, quin aliqua infamia laborabat; inde hic adulterii suspectus, quod diuortio puniebatur *CRESPHON, improbus* dicitur, uti apud *QUINT. declam. CCCXLVII.* Porro qui vi rapuit, vel hereditatem expilauit, *improbrior fur, et improbrioris furti infamia l. 2. §. 10. D. de vi bon. rapt. l. 12. C. ex quib. caus. infam. irrog. qui de viui hereditate sollicitus est l. 2. §. 2: D. de vulg. et pupill. substit. improbus litigator, et accusatio §. 1. J. de poen. tem. litig. et l. 19. C. ad L. Cornel. de fals. et quae sunt huius generis alia. De locatione in nuptiis et diuortiis alio loco commodiori.*

Ex Antromeda p. 266. vs. 3.

Filiis propter te obiecta sum innocens Nerei.

Filiis] pro filiabus hic dictum esse, *PRISCIANUS Gramm. VII.* confirmat, unde defendenda *l. 2. C. Th. de secund. nupt. III. 8. et l. 2. eod. de lenon. XV. 8.* quae idem habent.

Ex ead. p. 267. vs. 2.

Circum sese vruat ad pedes a terra quadringentos caput.

Vruat]

Vruat] **FEST.** hac voce ad **ENNIUM** prouocat et ex Interpretum mente *cetus*, monstrum magnae magnitudinis se in orbem vertit, quare potius legendum existimo *urbat*, similitudine ductus, quod *urbs* ab *urbo* appellata est; *Urbare* est aratro desinare et **VARUS** ait, *urbum* appellari curuaturam aratri, quod in urbe condenda adhiberi solet, uti supra dictum est p. 11. sq. l. 239. §. 6. **D. de verb. signif.**

Ex eadem p. ead. vs. 3.

Rursus prorsus reciprocatur fluctus feram.

Reciprocatur] Dubium fuit, an vox *reciproci*, quae **ICTIS** in testamentorum et substitutionum materia l. 4. §. 1. **D. de vulg. et pupill. substit.** et poena *reciproci* s. *talionis* l. 2. **C. de exhib. et transm. reis** venit, inter Latinos locum habeat, cuius auctoritatem hic inuenias. Cum enim **Persei** pugnam cum monstro maritimo describit, hoc fluctus iterum commouet, inde *reciprocum testamentum*, *substitutio*, et *poena*, quasi *repetitum*, *alternum* dicas, uti *reciprocare* in l. 41. §. 7. **D. de legat. III.** et l. 39. **D. de stipul.** **FEST.** *de nouo*, et iterum capere dicitur.

Ex incert. Tragoed. p. 298. vs. 1.

Suarum rerum incertei, quos ego mea ope ex

Incerteis certos compotesque consilii

Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

Pythii Apollinis responsum dicit **CIC.** *de Orat.* l. 45. *a quo omnes sui ciues consilium expetunt.* Est igitur, qui oracula dat Apollo, etiam **ICTUS**, quem eleganter descripsit **CAR. FERD. HOMMELIUS**, quem ob eruditionem veneror, ob animorum et officiorum coniunctionem colo,

E 4

etiam

in *dissert. de Apolline Iurisperito*, Lips. 1748. habita. Sicut enim §. 34. et 39. oracula inprimis de iure fuisse consultata docet, satis validis argumentis, ita inprimis hunc locum, quo Apollinem iura reddidisse commonstraret §. 51. affert. Vti vero clientes rerumque forensium ignari suarum rerum incerti, atque, ut ita dicam, consilii inopes essent, unde etiam interrogator in iure, qui nihil responsi ab aduersario acceperat, *incertus* dicitur l. 11. §. 7. D. de *interrog. in iur. fac.* ad patronos atque ICtos accedebant, ut certi compotesque consilii fierent. Iis enim cognitum erat, certum ius et finitum, quod legibus continetur l. 2. D. de *iur. et facti ignor.* cum contra antiquissimi Romani, qui Regibus subessent, *sine lege certa, sine iure certo, sed incerto iure et consuetudine agebant*, l. 2. §. 1. et 3. D. de *orig. Iur.* Habebant ICti in manibus *certa verba et formas aut formulas*; VLP. *Fragm. XIX.* 16. l. 10. §. 1. D. de *ann. leg.* quibuscum clientes dimissi rite actiones certas instituere poterant, *ne res temere tractarent turbidas*, atque causa vel formula caderent, quare Q. MUTIUS *clarus legum et certus vates* dicitur VAL. MAX. VIII. 13. 1. *Tractatur enim causa*, quando in iudicio de ea agitur l. 2. §. 24. D. de *orig. Iur.* et l. 45. §. 8. D. de *iure fisci*; et qui *temere h. e.* per calumniam aut sine iusta causa, et non adhibita idonea formula ad accusandum procedit, in poenam temere litigantium incurrit l. 39. §. 1. D. de *liber. caus.* et l. 79. D. de *iud. et tit. Inst. de poena tem. litig.* l. 2. C. de *abolit.* Sed de certis incertisque verbis, formulis, stipulationibus, atque actionibus commodiore loco dicam. Sufficiat hic, Apollinis responsum ex iurisarte et schola esse petitum.

Ex incertis Tragoed. p. 302. vs. 4.

O Fides alma, apta penneis, et iusiurandum Iouis.

Iurandum Iouis legit IUST. LIPS. *Elect. I.* 18. atque

que inde vocem ait formatam, quasi Iouis iurandum sit, imprimisque, quod NAEVIUS canat:

Ius sacratum Iouis iurandum sanguine.

Est igitur iusiurandum religiosa affirmatio, per quam adiurant, deosque testantur, *cum sit summi deorum honos proprius*, APVLEI. *de Deo Socrat. p. m. 45. edit. Elmenb.* inde imprimis per Iouem lapidem iurabant l. c. *ita me Dius Fidius*, per quem Δίος fidem, non Iouis filium Herculem, vti FEST. v. *Medius Fidius*, ait, intellexisse puto.

Ex eod. loco p. 303. vf. 2.

Philosophandum est paucis, nam omnino haud placet.

Philosophari verbum etiam apud ICtos occurrit, *philosophantes vere pecuniam contemnunt*, l. 8. §. 4. D. *de vacat. et excus. mun.* et qui veram et non simulatam philosophiam affectant l. 1. §. 1. D. *de iustit. et iure*; et se frequentes atque utiles per eandem studiorum sectam contententibus praebent, l. 8. §. 4. D. *de vacat.* non solum ICtis et Imperatoribus accepti, sed etiam a tutela et muneribus corporalibus sunt liberi; non vero iis, quae sumtibus expediuntur, quoniam, vti antea dictum est, pecuniam contemnunt, eod. neque in professorum numero sunt l. 1. §. 4. D. *de extraord. cognit.* quod tamen mutauit l. 11. C. *de profess. et med.* quae etiam philosophiae praeceptoribus, eorumque coniugibus, et liberis, imprimisque ex iis, ad maioris gradum dignitatis ascensis, vacationem a muneribus concessit. Sed et in ipsa Iurisprudencia philosophandum quidem est, sed paucis. Tantum enim abest, vt veram philosophiam, atque Dialecticam contemnamus, sine cuius praeceptis, neque recte docere, neque recte explicare leges, neque bene iudicare possimus, vt tamen, si quis omnem

fere ambitum philosophiae in artem nostram quasi transfundere velit, caueat, ne vtramque corrumpat. Cuius rei exemplum et testimonium affert Schola illa Ramistica, qui nisi iuris studium per quatuor causarum genera tractabant, sibi secundam, quemadmodum aiunt, Petri, omneque ingenium deesse existimabant, vti contra alii nostro adhuc tempore mathematica methodo, vel vt potius dicam contortis suis ratiunculis, atque conclusionibus omneius omniaque ICTorum singularia placita, in ordinem atque carceres suos redigere voluerunt. In his cum vtraque pars, quantum intelligo, peccasset, eo magis laudandus est IOH. GOTTL. HEINNECCIUS b. m. qui rei naturam et boni ordinis regulas sectatus in Institutis et Pandectis optimum nobis Iuris ciuilis aedificium exstruxit, quem iure omnes boni aequique cultores sequantur, et intelligant, philosophandum esse paucis, ipsam vero philosophiam nunquam spernendam, neque eam omnino h. e. in totum, vt haec vox l. 137. §. 6. D. de verb. obligat, et l. 1. §. vlt. D. de oblig. et act. occurrit, recipiendam esse.

Ex inc. Trag. p. 304. vs. 2.

Vt teibi Titanis Trivia dederit stirpem liberum.

Stirpem] Dicit ENNIUS *Triviam* s. *Dianam*. quae in triuio colebatur, dedisse Titanis progeniem liberorum. Vti igitur *stirps* ICTorum satis latine dicitur pro *genere*, vt *stirps libertina* COLL. LEG. MOSAIC. XVI. 8. et *aliena stirps* l. 9. C. de quaest. quocum conuenit ENN. *Annal.* V. p. 57.

Nomine Purrhus, vti memorant a stirpe supremo.

in quo falsus est SERVIUS ad VIRG. *Aen.* XII. vs. 205. qui stirpem masculine non de hominibus sumi dicit; ita in-

in-

in primis pro complexu agnatorum, qui ab vno familiae capite ortum habent, vt hic dicitur, et quidem quemadmodum in legibus est, in linea directa inferiori descendente et continua *pr. Instit. de grad. cognat. et AVTH. l. 3. C. de legit. hered. l. 5. eod. de emanc. liber.* quanquam etiam apud alios auctores, vt Enniano secundo loco stirps supremus sit, et maiores in se contineat; cum alias plerumque successio in stirpes, et capita inter se distinguantur, vbi in stirpem, qui succedunt, patris et auctoris demortui vicem sustinent.

Ex incert. Trag. p. 305. vs. 1.

Quin inde invictis sumpserunt perduellibus.

SCALIGER legit *Vindictam victis sumpserunt perduellibus*, et, quanquam hoc sensus requirat, tamen coniectura paullo durior est, vt potius existimem, *vindictam* in alio, qui praecedebat, vel sequebatur, versu positam fuisse, et nihil mutandum, quod vox *inde* ENNIO maxime sit consueta q. d. *eo in loco* vti *Annal. I. p. 25. vs. 2. Conspicit inde*, et *eod. p. 34. vs. 2. Constitit inde locei*, et in *l. 8. D. de diuort. inde i. e. ex domo sua diuortium misisset*, vt et *invictus*, vt in aliis verbis, pro simplici ponitur, quare etiam apud ICtos *inuinctus*, pro *vincto* legitur *l. 6. §. vlt. D. de leg. Fab. de plag.* Sed missis his ad

Perduelles] transeamus, de quibus *l. 234. D. de verb. signif.* Quos nos hostes appellamus, eos veteres *perduelles* appellabant, per eam adiectionem indicantes, cum quibus bellum esset; quo cum couenit VARRO de *LL. IV. 1.* cum affert ENNII verbum, *Hostem*, ait, dicebant peregrinum, qui suis legibus vteretur, nunc autem eum, quem tum dicebant *perduellem*, ex ratione a CIC. *Offic. I. 12.* adducta
leni.

lenitate verbi tristitiam rei mitigante. Hostis enim apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant XII. T. AVT STATVS DIES CVM HOSTE, ITEM QVE ADVERSVS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS. Quid? quod verbum, perduellis L. XII. Tab. collectores Tab. IX. inserunt: SI QVI PERDVELEM CONCITASIT, CIVEMVE PERDVELI TRANSDVIT, CAPITAL ESTO; in quo tamen adhuc dubito, an vera sit lectio, cum in l. 3. D. ad Leg. Iul. Maiest. ad quam prouocant, vox perduellis haud inueniatur, sed hostis, iique sine dubio argumento legis 234. add. eam lectionem adoptarunt. At quanquam vera sunt omnia, quae VARRO, CICERO et CAIVS afferunt, de eo tamen dubius sum, vtrum nec iam antiquis temporibus hostis quoque pro perduelle dictus sit, cum ex antiquis Scriptoribus ENNIUS noster saepiuscule hoc significatu vtatur, v. c. Annal. V. p. 63. vs. 1.

Cogebant hostes lacrumantes.

XIII. p. 100. vs. 3.

Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginensis.

Sed vti hoc doctioribus relinquo, ita de crimine perduellionis alio loco dicam.

Ex iisdem p. 306. vs. 6.

Aut permaceret paries percussus trifaci.

Pag.

Pag. 307. vf. 7.

Labat, labantur saxa, caementae cadunt.

Vti hos versus obrei similitudinem coniungendos existimo, ita ENNIUS describit obsidionem, qua paries ex maceria, catapultae, s. ariete in eum missa perfoditur, fluctuat, saxa et caementa iis indita cadunt, quae verba cum in Iure saepius occurrant, ea fugituo oculo lustrabo. *Paries* dicit AELIUS GALLUS l. 157. D. *de verb. signif. siue murus, siue maceria* est; Et quamquam maceria teste VARRONE *de R. R. I. 14. vel ex lapide, vel a lateribus coctilibus, aut rudibus, vel ex terra et lapillis compositis* constat, imprimis a muro differt in hoc, quod maceria, ex qua confecta est, non ita sit compacta, quam in muro atque sine aliquo ligamine, et saxorum tantum adiunctione coniungitur, CASSIOD. *ad Psal. LXI. et LXXXVII.* quare Ictus parietem, qui ex muro, et qui ex maceria est, separat; Inde hic percussus ariete, h. e. instrumento perfodiendis muris idoneo cum ex maceria, de qua docte egit, atque ἀμασίαν quae in l. 13. D. *fin. reg. vnus pedis esse*, dicitur, parietem et maceriam esse commonstrat MENAG. *Amoen. Iur. c. 33. pag. 199. esset, permacetur*, h. e. maceria dissipabatur, paries tunc *labat*, vehementer commouetur, et tandem *labuntur saxa*, pariesque corrui, vti sunt *labentes parietes*, l. 6. C. *de aedif. priuat. labentia sepulcra* l. 2. C. TH. *de sepulc. viol. IX. 17. et vt labatur sepulcrum* l. 1. §. 10. D. *de mort. infer.* itemque *caementa*, quae ENNIUS feminino genere, et Florentinum exemplar paulo post *cementa* exprimit, cadunt, quare VITRUV. *Archit. II. 8. cacmentitios parietes* affert, quos ex lapidibus non quadratis, et magni

gni

gni modi, calce et arena, quin luto illitos fuisse, comprobant NON. MARC. h. v. II. 179. et LIV. XXI. 11. unde cum res non essent magni pretii, et per inaedificationem domino soli cederent, *redemptores*, qui suis caementis aedificant, statim caementa faciunt eorum, in quorum solo aedificant l. 39. D. de rei vindic. conf. l. 17. §. 6. D. de act. emti.

Ex iisdem p. 307. vs. 4.

An aliquid, quod dono illi morares, sed accipite.

Morares] actiuum, inde passiuè apud ICtos, l. 85. §. 2. D. de reg. Iur. quoties aequitate desiderii naturalis ratio aut dubitatio iuris moratur.

Ex iisdem p. 310. vs. 1.

Illic est nugator, nihili, non naucii homo.

Nugator] qui multa agendo nihil agit, vti supra ex incert. libr. p. 131. vs. 4.

artem expromit inertem.

qui vti feruus erro, in l. 17. §. 14. D. de aedil. edict. temporibus in res nugatorias, tanquam nugator, consumtis, serius domum redit, indeque homo nihili est, non naucii est; *naucum* vero fabae granum, aut nucis nucleum, vel ipsas nugas, et res esse sine pretio, FESTUS v. *naucum*.

Ex Euemero, p. 321.

Eadem tempestate Iupiter in monte Olympo maximam partem vitae colebat, et eo ad eum in ius veniebant, si quae res in controuersia erat.

Quod

Quod *Vir Doctiss.* HOMMELIUS, vti paulo ante dictum est, p. 71. sq. de Apolline comprobauit, quod iura redderet, quin exemplis Cereris, et Themidis confirmauit, etiam pater Deorum Iupiter ipse auctor est, qui tanquam summus iudex sedebat, et inter eos, qui ad eum, tanquam apud Romanos in ius veniebant, de re controuerfa iudicabat, vt igitur vere Demosthenes in l. 2. D. de leg. dicat, πᾶς ἐστὶ νόμος εὐρημα μὲν καὶ δῶρον Θεῶν, *omnis lex est inuentum et donum Dei*, quare Iupiter quoque hominibus reliquit leges ENN. Euen. pag. 323. Ius enim locum esse, vbi ius dicitur et iudicatur, omnes ex l. 4. §. 1. D. de interrog. in iur. et tit. de in ius voc. ff. rem, quae in iudicium deducitur, controuersiam dici, sciunt.

Ex eod. pag. ead.

Iupiter imperium Neptuno dat maris, vt insuleis omnibus, et quae loca sunt secundum mare, regnaret.

Secundum mare,] iuxta, prope ad mare, vti ICTIS maxime est consuetum dicere, secundum agrum ripa l. 30. §. 1. D. de acquir. rer. dom. secundum ripam l. 29. eod. secundum Tiberim ambulare l. 23. D. de praescr. verb.

Ex eod. p. 322.

Ipse Iupiter, postquam rerum potitus est, in tantam insolentiam venit, vt ipse sibi fana multeis in locis constitueret &c.

Insolentia] Superbia, quam tribuit l. 33. D. de usur. Praefidi prouinciae, qui se praebet acerbum exactorem et
CONTU-

contumeliosum, nam inter insolentiam incuriosam, et diligentiam non ambitiosam, multum interest; vti etiam insolentia iudicum l. 3. C. THEOD. XI. 7. de exact. occurrit. Ceterum in prima Lege iniuriosam, quae respondet contumelioso exactori legit HALO ANDRINA et BUDAEUS ad h. l. non improbabili sane ratione, sed nihilominus Pisanam, quae incuriosam habet, recipio, cum is sit, qui neque personae, neque temporis, neque rei curam et rationem habet, et qui simili ratione TACITO Annal. II. in fine recentium incuriosus est. Fana autem sunt templa, non adeo magna, quae a Pontificibus fando consecrantur. FESTUS v. Fana, quorum etiam meminit l. 1. §. 10. D. de aedil. edicto

EXPLICIT.



